

Q. D. B. V.

COMMENTATIO JVRIDICA
IN
VENERANDI AVI SVI

BERNHARDI BÖHMERI

JCTI, SERENISS. PRINCIPVM, DN. CHRISTIANI LVDO-
VICI ET DN. JOHANNIS FRIDERICI, DVCVM BRVNSV. ET LV-
NEBVRG. SIBI INVICEM IN REGIMINE SVCCEDENTIVM GL. M.
QUONDAM INTIMI STATVS AC CONSILII SANCTIORIS
SECRETARI ET PRÆLATI, ATQVE ADMINISTRA-
TORIS ABBATIÆ ILFELDENSIS,

LX. THESES MISCELLANEAS

EX VTROQVE JVRE COLLECTAS ET ANNO 1659.
MORE T. T. VSITATO, PRO IMPETRANDIS IN VTROQVE JV-
RE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS,
RINTELII VENTILATAS,

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA

PRÆSIDE

D. JOHANNE PAVLLO KRESSIO

JCTO, CONSILIARIO REGIO AVLICO, FACVLT.
JVRID. ORDINARIO

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SUBIICIT

DIE V. NOV. CICCCXXXIV.

EX PATRE NEPOS

JOHANNES PHILIPPVS BÖHMER
HANNOVERANVS.

HELMSTADII

TYPIS BVCHHOLTZIANIS.

VIRO ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO,
RVDOLPHO JOHANNI
L. B. DE WRISBERG,

HEREDITARIO DOMINO IN WRISBERGHOL-
TZEN, BRVNCKENSEN, SELLENSTÄEDT, WESTLEM,
HOLTZMINDEN, ET BRVNNINGHAVSEN.

SERENISSIMI POTENTISSIMI QE MAGNÆ BRI-
TANNIÆ REGIS ET ELECTORIS BRVNSVIC. AC LV-
NEB. MINISTRO STATVS ET CONSILIARIO
INTIMO,

AC
SVPREMI APPELLATIONVM TRIBVNALIS PRÆSIDI:

ITEMQE

VIRO ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO,
JOHANNI PHILIPPO
DE HATTORFF,

EJVSDEM AVGVSTISSIMI REGIS
MINISTRO STATVS ET CONSILIARIO INTIMO
HEREDITARIO DOMINO IN BÖHME, RETHEM,
SVNDER ET HETTHORN,

VIRIS


OB IMMORTALIA IN REPVBLICAM MERITA,
OMNI LAUDATIONE MAJORIBVS,
MÆCENATIBVS SVIS OBSERVANTISSIME COLENDIS,
VITAM LONGAM, PROSPERAM AC FELICEM
PRECATVS,

HOC QVALECVNQVE

EXERCITATIONIS ACADEMICÆ SPECIMEN

D. D. D.

JOHANNES PHILIPPVS BÖHMER.



THESIS I.

Jurisprudentia est habitus
practicus, quo jura & leges ad
actiones ciuium prudenter ad-
plicantur.

COMMENTARIUS.

- I) Respexit hic beatus auctor ad jurisprudentiam, quam judiciale dicimus; quo supposito, definitio-
ni sat perspicuæ & evidenti, nihil est, quod adda-
tur. Alias pluribus contendit solet de definitione
jurisprudentiæ VLPIANI, quæ recitatur §. 1. *Inst.*
de J. & J. item *L. 10. §. 2. ff. tit. eodem*, quod sit:
DIVINARVM ATQVE HVMANARVM RERVM
A
NO-

NOTITIA & quæ ibidem sequuntur. Nimis ambitiosa visa est hæc definitio HADRIANO TVRNEBO. Putat enim, VLPIANVM in Philosophorum inuidiam & contumeliam artem suam tam gloriose definiisse, & JCtos suos Justitiæ sacerdotes appellasse. Certe æmulationi & inuidiae JCtorum erga Philosophos tam speciosam definitionem deberi, adserit Dn. LEYSER Specim. 2. meditat. 1. ad ff. vbi simul addit, in libera republica jurisprudentiam ancillulam & pedissequam tantum eloquentiæ habitam fuisse, & demum sub imperatoribus caput extulisse, factamque fuisse æmulam oratoria & Philosophiæ, atque adfectatricem harum dignitatis & vanitatis. Offendit bonus VLPIANVS etiam BACHOVIVM ad *τι πρώτα* pandect. quia, inquit, nemo, nisi ipse Deus res diuinæ, seu rationem sui colendi docere potest. Enimuero nihil ambitioni, aut arrogantiæ dedisse VLPIANVM, rectius obseruant NOODT pag. 2. 3. ad tit. de J. & J. BYNCKERSHOECK in Opusc. p. 238. Nec opus est, VLPIANO suppetias ferre cum CONRINGIO (* 1.) de prudentia civili cap. 3. §. 7. quod sermo ejus restringendus sit ad notitiam juris, & legum rerum diuinarum & humanarum. Nam addit ipse

VL-

(* 1.) *Quod vero viget ibidem ex CICERONE: alias JCtos, nisi scil: VLPIANVM limitarent, ejusque definitionem intra justos limites delinquent, magna professo in exilibus versaturos esse, dandum est offensæ polyhistoris in TABOREM.*

VLPIANUS definitioni sūtæ: JVSTI ATQVE IN-
JVSTI SCIENTIA. Certe jus vtrarumque rerum
& nominatim cultus religionis publicæ ad JCtorum
peculium spectasse, solide demonstrauit BYN-
CKERSHOËCK pag. 237. diff. I. Imo JCtus apud
Romanos intelligere debebat jus Feciale, Augura-
le, Pontificium, ritus, dies, quando, quomodo
sacrificia offerenda, vide BALDUINUM ad §.
1. de J. & J. Inst. Nec aliter dein sub Christianis,
quod euidenter ostendunt tituli Cod. Lib. I. tit. I.
tit. 5. Ex quibus satis liquet, JCtum non tantum
jura rerum diuinarum, sed ipsam doctrinam veram
harum rerum callere debere. Quomodo enim
alias exponet titulum de SVMMA TRINITATE,
de FIDE CATHOLICA, de HÆRESI, nisi ipsius
prudentia etiam res diuinæ complectatur.

Dein II) vtterius Jurisprudentiam apud Romanos non
demum sub Imperatoribus, sed jam tempore liberæ
(* 2.) reipublicæ cultam, summoque in pretio fuisse,
facile disci potest ex FLEVRII libello de elect.
stud. Sane ut Græcia philosophos suos: ita Latium
JCtos suos colebat & mirabatur, ut proinde de ju-
risprudentia formularia deque rabulis, non de ve-

A 2

ris

(* 2.) Praeclare SCHVLTING in Jurispr. Antejustiniane p.
903. Haud equidem sum nescius, summo semper in
honore sub libera republica fuisse juris ciuilis cogniti-
onem ac interpretationem, atque à ciuitatis principi-
bus, teste Tullio, in possessione retentam.

ris JCtis intelligi debeant, quæ ex CICERONE v.
c. a MENCKEN:O in *Charlatan.* p. 180. aliisque
hic in contrarium adferuntur. Consulatur ipse CI-
CERO Lib. 5. de LL. vbi plane de pontifice Roma-
norum: *nemo bonus pontifex, nisi optimus JCtus.*
Porro idem jurisprudentiam Lib. I. de *Oratore* defi-
nit: PRÆPOTENTEM & gloriosam philosophiam,
vid. BVDDEVVM fol. 4. C. II. ad ff. Nec eloquentia,
vide locum SENECAE p. 132. apud STOLL. in *bisf.*
eruditio[n]is, nec philosophia adeo habent, quod
de antiquitate & ætate apud Romanos cum Juris-
prudentia certare possint, vide HORN Lib. 4. *bisf.*
philosophica cap. 3.

II.

In hac non quidem dantur
tam accuratae definitiones &
demonstrationes, quales sunt in
Mathematicis vel aliis disciplinis
speculativis; sunt tamen in suo
genere certæ.

COM-

COMMENT.

I.) Vtrum disciplinæ practicæ admittant demonstrationes certas ad mathematicarum exemplum, jam diu inter eruditos disputatum. Adfirmat prolixo hoc quæsitus PVFENDORFF Lib. I. cap. 2. per tot. qui tamen a demonstrationis accuratioris lege quantitates morales, valorem rerum, & aestimationem personarum, item proportionem delictorum & poenarum eximit, nec hæc nisi cum aliquali latitudine sine ērītā, vid. L. 28. de probat. definiri posse fatetur. Rationem autem, quare disciplinæ practicæ non æque exacte, & ad minutias usque sua demonstrare possint, quam quidem matheſis, ex ipsis hujus disciplinæ demonstrandi mediis, lineis, numeris, ponderibus, quæ in aliis disciplinis fruſtra quæruntur, aut quæſita adplicantur, desumit LOCK Lib. IV. cap. 2. cap. 9. seqq. de intellectu. Distinctius idem §. 19. Lib. IV. cap. 3. Indicant quoque aliqualem moralium incertitudinem, quæ alibi habet idem Lib. 2. cap. 28. §. 10. GROTIUS Lib. 2. cap. 23. §. 1. ita: in moralibus non æque, ut in mathematicis certitudinem inueniri scribit ARISTOTELES. Auus itaque recte pronuntiat: *demonstrationes morales non tam accuratas, quam mathematicas, in SVO GENERE tamen certas esse.* Maneat itaque sua cuique disciplinæ, matheſi, & morum doctrinæ, suæ certitudinis, suæ evidentiæ, connexionis, bonæque methodi, laus. Patiantur tamen moralium disciplinæ magistri, se à mathemati-

A 3

cis

cis & minutiarum exactiori demonstratione, ac definitione, linearum, numerorum, ponderum adparatu, quibus subsidiis re vera methodus mathematica vnicē constat, vinci. Nam in genere bene, perspicue, cohærenter, simul tamen distin-
cte scribere, non est ars mathematicorum peculia-
ris, sed omnibus genuinis disciplinis, vereque eru-
ditis communis. Præterea in doctrina juris naturæ,
conf. GROT: II. XX. 43. distinguendum videtur
inter prima hujus juris principia: de nemine læden-
do, de pactis seruandis, de abstinentia ab injuriæ
dictione, & inter quæstiones hujus juris remotio-
res ab his principiis, v. c. quomodo adquiratur pos-
sessio hujus vel illius rei, qua prehensione, qua
occupatione opus sit in acquirendo rerum nulli-
us dominio. Priora ex euidenti nexu cum necessi-
tate & vtilitate societatis humanæ facillime soluantur,
circa posteriora autem, cum adeo non intersit pu-
blici, quamcumque sententiam sequaris, facillime
ab exercitationibus ingenii in vtramque partem
disputatur, vide NOODT. Lib. 2. Probab. cap. 6.
& quos citat FLEISCHER pag. 381. J. N. Nescio an
non huc aliquatenus respexerit SALOMON eccles. 7.
vers. 17. Nam quod ibi dicit: ne quis sit nimium
justus, BVDDEVS de ὀρθοδοξίᾳ capit, quos for-
te redderes illos, qui non tam juste, vbi aperte ju-
stum, agere volunt, quam de justitiae præceptis ad
puluisculum vsque & mathematicorum puncta
concertare malunt.

II) Ad-

II.) Addamus pauca de certitudine juris CIVILIS. Certum est, 1) illius complexum seu integrum argumentum in formam artis systematicæ redigi & per libros, titulos, sive majores & minores sectiones bono ordine digestum exhiberi posse. 2) posse etiam jurium singulorum definitiones fieri, ex his regulas extrahi, atque concinna serie, prout altera ex altera fluit, recenseri. 3) Textus juris per regulas verosimiles interpretationis tam communis, quam juris civilis disciplinæ propriæ exponi. 4) Posse etiam IN FACTO (fine cuius notitia juris prudentia torpet) sensum instrumentorum, contractuum, testamentorum iisdem subsidiis erui. 5) Gestæ seu facta non scripta per testes, aut argumenta in lucem produci. 6) Jus & factum separatim & sigillatim antea, quoad ejus fieri potest, expensum inter se comparari, & proinde tam apta explicatio juris in scholis, quam fructuosa ejusdem applicatio in foro obtineri.

III.) Enimvero 1) nec generalis integri systematis confessio MERIS demonstrationibus subnixa sperari potest. Nunquam enim deerunt objectiones contra partium noui systematis numerum, singularum quantitatatem sive ambitum, vel dispositionem per loca, an necessario & satis bene in frontispicio, an paulo post, an in medio, an circa finem, an non plane in fine rectius & magis scientifice locari potuisset, v. c. jus personarum. Nec 2) definitiones jurium dantur ex o-

rgo etiam in meritis rationibus quoque diversis mni

lioni

mni parte perfectæ, etiam si JAVOLENVS in lege
203. de R. J. non dixisset, omnem juris definitionem
esse periculofam. Idem dicendum de regulis ex his
definitionibus deductis. Quam enim non tam ob
tot circumstantias jus variantes, quam ob ipsarum
legum hactenus extra mathematicorum acroases a
non philosophis sine geometrica connexione latarum
hic non deprehendimus sæpe in contextu am-
biguitatem? Vnde in JCtorum scriptis, post singu-
lulas fere regulas, tot leguntur: *amplia, limita,*
sub-limita, & similes imperatiui. 3) Leges juris ci-
vulis sæpius obscuras esse, quia concisæ, ex contex-
tu suorum auctotorum abruptæ, ex dissentientibus
JCtis excerptæ, nec satis plenæ, nec conspirantes fa-
tis, quis neget? Accedit quod aliam hinc inde judicio-
rum formam, de qua tot litigia in criticorum scholis,
supponant, & insuper imperita libellariorum manu
sæpe corruptæ, conspurcatæ, aliquando etiam ab
ipsis corporis juris compilatoribus plane sub alieno
rubro positæ compareant. Neque vero dici potest,
Romanorum JCtos nobis reliquisse jurisprudentiam
in singulis titulis materiisque indiuulsa serie conne-
xam. Ut enim id aliquando acciderit, hos JCtos
temel positorum principiorum in antecedentibus fuisse
memores in deducendis conclusionibus, vt exemplis
cum laude eorundem refert Dn. PRÆSES cap. 2. §.
4. *diff. de rationibus decidendi:* nihilominus alicu-
bi secus quoque contigit, vt genuinæ consecutio-
nis non habuerint rationem, vid. §. 10. *ibidem.* Si
quis vltierius adhuc pro vniuersali certitudine de-
mon-

monstratiua artis juris nostri contra probabilitatem ejusdem disputare ; nec rationibus nostris a natura & indole juris nostri desuntis credere velit , illi per demonstrationem a posteriori opponimus scripta JCtorum nostrorum , v. c. FABRI de *conjecturis* , scripta DD. juris , *criticam* & emendationes textuum respicientia , vbi nil de certitudine , sed si res auctoris opinione faustissime processit , repetita exclamatio : FELICI CONJECTURA ITA RESTITVI , vid. inter plures BYNCKERSH. hinc , inde . Adde scripta , v. c. de *conjecturis ultimarum voluntatum* , de *tacitis* & *ambiguis conuentionibus* MANTICÆ , COLLECTORES communium opinionum contra communes v. c. GABRIELEM . Imo rogatissimum volumus lectorem , vt ipse meditando experietur , annon subinde in acutissimorum JCtorum libris , cetera docte & eleganter scriptis , nullum aliud reapse consecutionis filum adsit , quam post qualemcumque juris descriptionem initio tituli recitatam , reiterata illa & ex amore præsentis seculi adoptata verborum formula : *Vnde fluunt axiomata* , & reliqua . Cum tamen ab illis dicta & deducta , nec vera axiomata i. e. propositiones per se ob suam evidentiam creditu dignæ sint , nec ex definitionibus traditis perspicuo nexu fluant , nec quæ illis præmittuntur , veras , certas demonstrationes , vel principia demonstrata contineant . Concludamus tandem 1) gaudent mathesis & mathematici suis verisimis demonstrationibus mediisque demonstrandi .

B

2) di-

2.) discantur a cultoribus juris eadem, quo mathematicorum acribia in meditando constanter, & veritatem vna cohærente opera scrutando adsuecant, quo ingenium naturaliter saepe vagum, veluti ad vnum punctum, ad vnam lineam adstringere, adeoque de quolibet quæsito sigillatim vna serie & distincte cogitare discant. Imo 3.) vt excitentur a mathematicis ad *possibilem* distincte, perspicue, exacte & ita, vt idea cum idea, propositio cum propositione serie continua connexæ sint, scribendi imitationem. Definiant 4.) jura sua, elicant e definitis regulas, vt boni logici. Sittamen 5) modus in rebus, nec spe patiantur se lactari inani, quasi jura sua sint mathematice demonstrabilia, hæc que felicitas demum nostro seculo ante finem mundi contigerit. Verum 6.) ipsis satis sit artem juris probabilem didicisse probabiliter, si forte quædam verræ demonstrationes occurrant *in abstracta juris theoria*, separent has a reliqua singulari, vñstali Jurisprudentia forensi, quæ *in ipsis rerum argumentis* plerumque ob LL. humanarum flexibilitatem & factorum infinitas circumstantias, non nisi probabilibus descriptionibus, regulis probabilibus inde deductis, & inter se tantum saepius probabiliter conexis vñsa, verosimili juris explicatione & applicacione contenta viuit.

IV.) Nec aliter rem se habere facile agnoscit, qui semel serio cogitauit, in jurisprudentia nos non ratio-

ci-

cinari ex eo, quod ipsi cogitauimus, diximus,
 scripsimus, sed quod alii cogitarunt, dixerunt, scri-
 pserunt. An vero hi alii caussam ita cogitandi, ut cogi-
 tatum, habuerint, an ex illorum cogitato uno *volu-*
erint sequi aliud, an ipsi cogitatorum suorum ne-
 xum inspexerint, & vinculum consecutionis ubique
 attenderint, curauerint, an æqui, boni fuerint,
 vt præsumi queat: in consequentiis suis, vbi rem non
 sat perspicuis verbis ipsi extulerunt, tacite voluisse,
 vt illorum cogitatum ex bono & æquo expona-
 tur, an maluerint: interpreti sic vnicē cogitandum
 & existimandum: *legem quidem duram, ita tamen*
a scriptam s̄epe non liquet. Neque vero hic rem
 conficit regula: Ego, si hoc cogitassem, dixisse, scri-
 psisse, illud exinde sequi concessisse, vel vt ex bono
 & æquo inde concluderetur, passus fuisset. Ergo &
 quilegem aliquam dixit, scripsit, easdem, quas ego
 admitto, admittit sequelas. Quis enim nescit alia-
 rum facultatum litigia, v. c. quæ sequantur ex ad-
 missa doctrina de dubitatione de existentia Dei ad
 tempus CARTESII, de prædestinatione AVGV-
 STINI & sequacium, de harmonia præstabilita-
 LEIBNITZII, quæ inquam ex his doctrinis sequan-
 tur, vel non sequantur, quum alia sit exppositio ip-
 forum auctorum, alia interpr̄etum reliquorum,
 illique operose contendant, ex suis doctrinis nihil
 impii sinistrique sequi, verum omnes prauas con-
 sequentias opus esse inuidiae aliorum. Quare inter-
 pretis, qualis præcipue est etiam JCtus, ratiocini-
 um,

um, uti non plane liberum est, sed auctori suo ejusque menti simul subiectum: ita quoque certe demonstratum, cum nemini ubique alterius sensus evidentissima certitudine patere possint, esse nequit.

III.

Sicut reliquæ scientiæ & artes sunt rerum vniuersalium, ita etiam scientia juris siue ars æqui & boni in notitia legum Romanarum aliarumque singularum gentium proprie non consistit.

COMMENT.

- L.) Jam diu nota fuit regula: *Scientia est rerum vniuersalium, experientia rerum singularum*, vide CONRING cap. 4. §. 12. de civili prudentia. Vbi rationes addit*i.)* quod non possibile sit, singula scire, adeoque *2.)* si necessum esset, singula scire, non daretur illa Scientia, jam vero scientias plures dari.

II.) Fa-

II.) Facilis est applicatio ad Jurisprudentiam præcipue naturalem, sive artem boni & æqui, ut VLPIANO in Tit. de J. & J. dicitur. Hæc enim non immediate oritur ex legum singularum lectione notitiaque, verum ex meditationibus status hominum naturalis, ciuilis, atque regulis per hanc meditationem inuentis, & in bene digestum sistema congestis, concinneque ordinatis.

Interim III.) scientia juris insigniter tam initio, quam in progressu & fine per lectionem plurium Gentium legum adjuvatur. Quæ ceteroquin, si meritis speculationibus & abstractionibus paratur, non tantum difficultius paratur, sed etiam jejunior ac sterilior euadit, vid. HERT. in *Jurispr. vniuersali*, sect. 1. §. 28. Sect. 2. §. 12. seqq.

IV.

Datur Jurisprudentia vniuersalis, quæ vbique terrarum, ubi leges vigent, locum obtinet.

COMMENT.

Thesis hæc nec commentarium, nec demonstratio-
nem

B 3

nem exposcit, sed sua luce radiat. Magis tamen dubitatum fuit, an vti certo datur jus priuatum naturale vniuersale, ita quoque detur jus publicum naturale vniuersale, vide KIPPING, CLASEN, RACHEL, MAVRITIUM, quos citat HERT. pag. 61. de *Jurispr. vniuersali*. Lis facile componitur, si jus publicum dicis jus, quod exponit non quorumvis etiam absolute parentium & imperantium iura, sed in ciuitate liberiori jura parentium secundum pactorum conuentorum leges, & imperantium potestatem per leges Regias, vel vt hodie capitulationes temperatam, limitatam introducta & vsu obtinentia, non datur jus publicum vniuersale, verum jus publicum gentium, vt: Germanorum, Polonorum, Suecorum & aliarum gentium, quibus non sola imperantium conscientia pro lege est. Nam in statu regnoque herili seu despoticō ejusmodi jus publicum vbique ignoratur, quia ibi nulla parentium certa, legeque publica definita differentia. Si vero jus publicum tibi est jus, quod in genere abstrahendo a certa ciuitate & certo temperatoque imperandi modo singulari, officia parentium & imperantium explicat, datur vtiique jus publicum vniuersale, huc refer v. c. HOBESIVM de *ciue*, PVFENDORFF de *officio hominis & ciuis*, HVBERI *jus ciuitatis*,

V.

Actiones ciuum, quatenus
sunt

sunt justæ vel injustæ, sunt sub-
jectum operationis nostræ Juris-
prudentiæ.

COMMENT.

- I.) Observa hic tantummodo diuersas *subjecti operati-
onis* notationes. Sunt, qui exponunt: per perso-
nam, *circa quam disciplina* occupatur, quamque
principiis suis instruere & ad finem suum perducere
adlaborat. Hoc sensu homo peccator dicitur sub-
jectum operationis theologiae. Verum autem cum
illis facit, quibus subjectum operationis est idem,
quod objectum, vide ex AMMONIO HERT. c.
lo. pag. 12. d. l.
- II.) Ceterum de ejusmodi vocibus, quae non omnibus
idem notant, expedit, partes ante omnia de signifi-
catu conuenire, & dein conuentionali significatiu
constanter, perpetuo inhaerere, ne disputatio fiat
confusa sensu; & inanis exitu. v. *de caut. circa ver-
ba LOCK Lib. 3. cap. XI. §. 4. seqq. §. 26. 27. ibidem
cap. 3. §. 19. versu 1. quod. d. l.*

VI.

Jurisprudentia pro conclusi-
onum

onum proprio Juridicarum principio Philosophiam non agnoscit, sed leges sunt proprium & determinatum earum principium.

COMMENT.

- I.) Jus nostrum civile est jus, non simplex, sed compositum ex jure naturali, jure Gentium & ciuili, L. 6. de J. & J. §. 4. J. ibid.
- II.) JCtus in meditationibus & interpretationibus suis ad hæc jura omnia reflectit, vt in L. I. §. I. de J. & J. L. 8. Cod. de judiciis. L. 51. ad L. Aquil. L. 31. dispositi.
- III.) JCtus tamen potissimum respicit legem scriptam, cum sciat, se in foro tantum de hujus sensu quæri, vide programma Dn. PRÆSIDIS de religione judicantium Papiniæa. Nec
- IV.) Proinde respondere ipsum debere non secundum suam conscientiam, aut ex suæ philosophiæ principiis, ve-

verum secundum juris ciuitatis jussum, aut prohibitionem. Vnde in Ordinatione Camerali imperii de anno 1555. P. I. tit. 13. *Die Beyfitzer des Cammer-Gerichts sollen in keiner Sache, sie sey so geringe, als sie wolle, allein auf ihr GVTDVNCKEN oder einen jeden erwogene Billigkeit, oder eigen fürgenommen, vnd nicht den Rechten gemäss informirten Gewissen, sondern auf des Reichs gemeine Recht, Abschied, v. s. w. nach Vermög- vnd Ausweisung ihres Eyds, wie er hier unten gesetzt, Vrbeil fassen, vnd aussprechen.* Paullo aliter FABER in *præf. ad Cod.* Non judicandum est, quo jure VTENDVM sit, sed secundum jus, quo VTIMVR. Nec lex ex ratiocinio æquitatis mutari, vel tolli, sed derogationes, correctiones soli Principi relinquunt debent, L. I. 8. 9. *Cod. de LL.* Itaque

V.) facile intelligendus est sensus hic dictorum ab AVO, scil. JCrum nec in docendo nec in judicando recessere debere, sub specie regulæ philosophiaæ à lege clare scripta, tanquam suo PROPRIO, sibique definito PRINCIPIO. Alias enim misceret personam judicis cum persona legumlatoris.

VI.) Jus civile tamen ex philosophis & illorum doctrinis omnino illustrari potest, sic e DEMOSTHENE & CHRYSIPO illustrat definitionem legum MARCIANVS L. 2. *de LL.* instruitque prudentiam legislatoris ad leges cum fructuferendas ex THEOPHRASTO

C

PHRASTO

PHRASTO L. 3. 6. ibidem. Pariter quæstionem de numero liberorum nascendorum soluit ex ARISTOTELE JVLIANVS L. 39. *de Solut.* Sic bonam politiam & commerciorum vtilitatem ex PLATONE tradit CALISTRATVS L. 2. *de Nundinis.*

VII.

Optima est partitio Juris,
quæ apud Aristotelem extat, vt
aliud sit jus naturale, aliud legiti-
tum siue voluntarium.

COMMENT.

De aliis diuisionibus conferendi sunt DD. ad Tit. de J. & J. THOMASIVS diuisit in diuinum & huma-
num, & ab hoc vrroque recte dici putat juris V. D. Potissima nouissima lis fuit inter THOMASIVM,
BVDIDEVM & hujus sequaces, an detur jus positi-
vum diuinum vniuersale, quod negandum sibi sumi-
fit THOMAS: cum in Obseruationibus Hallens:
Tom. 6. obseru: 27. tum in *præf.* fundamentorum
juris naturæ anno 1718. Ast hanc item alii discuti-
ant. Romani, *vide* §. 4. *de J. & J.* jus diuise in
publi-

publicum & priuatum. Hoc in naturale, Gentium,
ciuile. Publicum autem in sacrum & profanum,
vid. L. 1. §. 2. de J. & J. Nam per jus publicum
non compositum jus *ex J. C. N. & G.* sed pacta con-
uenta sua, & consuetudines ad STATVM REI RO-
MANÆ pertinentes, intelligebant. Vnde argue-
rem: Romanos non curasse adeo jus aliquod publi-
cum vniuersale.

VIII.

Illa proprie sunt juris natu-
ralis, quæ jure naturali vel præci-
piuntur vel prohibentur: illa ve-
ro, quæ jure naturæ tantum
sunt licita, sunt extra jus natu-
ræ & vetari possunt vel præcipi.

COMMENT.

Occasione hujus thesis licebit disquirere vexatam olim
quæstionem: vtrum detur lex permissiva, siue an
permisum etiam spectet ad legem, adeoque permi-
C 2 sio

sio sit quoque legis actio. Dicitur alias in L. 7. de LL. Senatusque consultis a MODESTINO: Legis virtus haec est: imperare, vetare, permittere (punire.) Rectius GROTIUS Lib. I. cap. I. §. 9. PERMISSIO autem non ACTIO est legis, sed actionis NEGATIO, nisi quatenus alium ab eo, cui permittitur, obligat, ne impedimentum ponat. Consentit PVFENDORFF Lib. I. cap. 6. §. 15. Permissio proprie non est actio legis, sed actionis negatio. Quae lex PERMITTIT, illa neque præcipit, neque vetat, adeoque circa eadem NIHIL AGIT. Dissentit TITIVS obseru: 50. ad Pufend. de offic. H. & C. Qui leges distinguit in obligantes & permittentes, definitque has: decreta, quibus imperans sibi subjectis jus dat, aliquid, si velint, licite & tuto agendi, habendi, vel ab aliis postulandi. Exempli loco adferri solent v. c. permissio usurarum quincuncium, it: occisio vxoris in adulterio deprehensa, nec non exhereditatio filii, vide TESMARVM ad Grot. d. l. sed ad hæc dubia respondit PVFENDORFF d. l. Placent tamen Titiana, ut alias sepius BARBEYRACIO in notis ad §. 15 n. i. ad Pufend. d. l. Nobis non videntur hæc tanti, ut aliquid circa philosophiam AVITAM immutandum sit. Nec enim occisio adulteri, acceptio usurarum, quatenus a lege permittuntur, ad legem pertinent, sed quatenus a lege his etibus certa forma certusque modus, quatenus adulterum occidere, aut usuras accipere fas sit, simul præcipiendo vetandoque præscribuntur, genuinæ legis genu-

genuinum objectum constituunt. Quia eatenus lex, quæ certa viuendi regula esse debet, quid agendum, quid omissum ostendit, adeoque suo officio fungitur. Falsum deinde etiam est, leges permissuas certum jus transferre in eum, cui aliquid permititur, adeoque consistere in conceptu POSITIVO. Nam in eum, cui fit permisso, nullum jus proprio transfertur, sed legislator tantum declarat, quod veras leges suas prohibentes, jubentes ad actum huic jam ante legem permisum extendere nolit, sed libertatem pristinam relinquere malit. Ceterum fatendum est, hanc controversiam non esse magni momenti, sed in conclusionibus pragmaticis utramque sectam consentire. Ut proinde tota haec disquisitio tantum theoretica sit, vbi non usus, sed solus amor veritatis concertantium laborem excusat.

IX.

Vsuræ nec jure naturali nec diuino simpliciter sunt prohibitæ.

COMMENT.

Veritas hujus asserti exinde demonstratur I.) quia jus na-

naturæ pro complexu regularum justi sumptum nor-
jubet aliis facere bene, sed 2.) tantum prohibet aliis
facere male, vel: non jubet, aliorum jus & commo-
dum conseruare, augere, sed tantum: non destrue-
re, non minuere. Jam vero 3.) pecuniam suam aliis
sub vñsiris communicare, non est aliis male facere,
aliorum jura & commoda minuere, lñdere, sed
tantum alios non beneficio cumulare, nec aliorum
conditionem directo meliorem, aut ipsos locupletio-
res reddere. Ergo 4.) pro pecuniæ vñsiras acci-
pere, injustum non est. Imo ne quidem 5.) si im-
moderata vñsiræ exiguntur, in justum committitur.
Quia exiguntur ab illo, qui promisit, voluit. At-
qui volenti non fit injuria. nec injustitia. Quam-
uis 6.) hic lñdantur officia humanitatis. Quæ tamen
non lex naturæ generalis, sed æqui prudentia
pro exhibentium & accipientium statu & fa-
cilitatibus definit. Negari tamen 7.) nequit, in ciui-
tatibus plerumque rationes bonaæ politiæ intercede-
re, ne vñsrarum definitio promiscuo auaro credito-
rum arbitrio relinquatur, sed a ciuitatis rectore fiat.
Hoc tamen temperamento seruato, vt tantum abu-
sus cohibeatur. Nam vt plane tollantur, prohibe-
antur vñsiræ, ex illis est, quæ non admittit plurimum
ciuium, præcipue illorum, qui in vrbibus habitant
& aliquando præter pecuniam occupatam, fere ni-
hil quo se exhibere possint, in bonis habent, condi-
tio. Plane nec cum vtilitate ipforum debitorum
conjunctum foret, vñsiras cum puluisculo veluti ex-

ter

terminari, cum si gratuita pecunia mutuo dandæ necessitas in vniuersum imperaretur, sine dubio defuturi essent, qui mutuarent, carendumque ita sëpe esset v. c. mercatoribus insigni lucro, quo si pecuniam sub usuris potituri fuissent, frui potuissent, v. Confit. LEON. 3. p. 226. apud. THOMAS. Itaque 8.) re proprius inspecta dicendum est: crimen usurariæ prauitatis esse crimen, non naturale, aut juris gentium, sed quod tantum committitur contra leges politiæ in ciuitatibus.

II.) Quæ hic ex jure naturæ in contrarium afferuntur vel ideo suspecta sunt, quod contra primum juris naturæ principium, quod si quidem de juris, non de virtutum præceptis quæstio est, tantum aliorum jura violare verat, impingunt, adeoque ethicam cum jure naturæ proprie ita dicto aperte commiscent, atque præterea satis confossa & explosa sunt a NOODTIO insigni libro de usuris conscrip-
to. E veteribus contra, vel maxime *præter natu-
ram* esse, quod vt in scenore fit numimus, num-
mum pariat dixit ARINTOT. L. I. polit. cap. 7. &
SENECA L. VII. C. X. de benefic. FOENVS & VSV-
RAS vocat humanæ cupiditatis EXTRA NATV-
RAM quæsita nomina. Ad rationes e scriptura Sa-
cra, Exod. XXII. v. 25. Psalm XV. v. 5. Ezech.
XVIII. v. 8. Luc. VI. v. 34. petitas respondent PV-
FEND. L. V. c. VII. §. 9. 10. CLERIC. ad Exod.
XXII. v. 25. NOODT, Libr. I. c. X. XI. Caput
Deuteronom. XXIII. v. 19. 20. autem, quod circa usu-
ra-

rarum exactionem inter fratres Israelitas, & alienigenas Chananaeos distinguit, ex statu vtriusque gentis politico diuersissimo facile explicatur, & cum Lege *Exod. d. c. XXII.* in luculentam consonantiam redigitur, vt non opus sit hic inter gentem heterodoxam & Orthodoxam discrimen constitueret, vt quondam inquisitores hæreticæ prauitatis præiuit AMBROSIVS vid. DE LA PLACETTE *traité de l'intérêt*. Illud constat ex historia Græcorum Imperatorum, Basilium Macedonem multa declamatione usum usurarum aliquando sustulisse, sed cum dein longe deterius, quam antea cum rebus imperii ageretur, ipsum filium LEONEM Philosophum in sua Nouella 83. certissimum paterni erroris testem usurarum solutiones & exactiones denio in usum reuocasse. Plane MVNDVM sine usuris confidere non posse, docuit LVTHERVS noster, conferatur pluribus COTTMANN. L. II. Resp. L.II. per tot. Inconstantissima ceterum hic fuit Justiniani legislatio, vt vel solius trajectorizæ pecuniaæ usuras, olim infinitas. TER aliter definierit, loca citat SCHVLTING ad PAVLL. p. 288. n. 13. An detur certa regula in imperio de quantitate usurarum, nominatim, an usuræ quincunces legibus imperii definitæ, vide in utramque partem in scriptis: *Von der Rechtmäßigkeit des 6ten Zinsz-Thalers Dni. de MEYERN, & in der refutation der Meyerischen Gedanken von 6ten Zinsz-Thaler, item in der Beantwortung dieser refutation, vbi vtrinque singulæ leges imperii, auctores,*

res, res iudicatae & omnia, quæ in notitiam vsurarum imperialium introducunt, allegantur, excutiuntur. Reformationes politicas imperii de anno 1530. 1577. quibus definiuntur vsuræ quincunces, elector palatinus LDOVICVS anno 1582. exponit: *von den Jahr-Gulden, excluso mutuo vsurario, additaria ratione: weil solche Jahr-Gulden kein eigentlich mutuum oder Leibne, sondern vielmehr die Art eines Kaufs an sich hätten.* Ergo secundum interpretationem primi fere inter electores seculares archiprincipis ab emtione annuorum reddituum ad vsuras in mutuo soluendas in legibus imperii arguendum non est. Sed cur? Respondeatur: quia auctores LL. imperii contractum emtioni annuorum reddituum a contractu mutui vsurarii diuersum esse crediderunt, & ita in legibus atque reformationibus suis politicis statuerunt. Jam vero voluntate legum latarum expressa intellecta, non per conjecturas de tacita disputandum. Porro existimat PALATINVS d. I. mutuum debere esse gratuitum fol. 5. §. vnd die weil. P. II. Landr. von Conir. Plane seculo XIV. anno 1348. hat Herzog Ludewig in Bayern Friederich von Mautern 12. von hundert passiren lassen. HVND. I. pag. 268. in Stamb. Apud TENZEL p. 128. supplem. Histor. Gotian. legitur: liberum esse domino, si census ipsi non soluitur, *Geld auf Christen- oder Juden-Zins auf zu nehmen.* Imo Martinus Papa a. 1424. permisit quotannis I. de XIV. adeoque septunxes vsuras, vid. Tom. I. p. 1564. MENCK.

D

Li-

Liberius itaque quondam fuit creditor's vſurarii arbitrium. Nec hoc in mutuo restrictum per R. Deput. 1600. §. 152. qui disertis verbis tantum agit de interesse MÖRÆ, neutquam de pacitio, nec quounque pacisci fas sit decernit. Imo cum præcedente seculo apud Bambergenses quæſtio de Judæorum vſuris augendis post a. 1654. incideret, Cancellarius E-BELSBVCH pro augmento allegabat (1.) quod Papa Judæis Mantuanis permittat XX. pro C. (2) quod adſit auctoritas P. LESSI. (3.) quod Judæis ſolui poffit omni tempore, nec hi denuo mox pecuniam occupare poffint. (4.) quod creditori vſuræ ſolui queant pro labore aperiendi crumenam & cuſtodia pignoris. (5.) quod alias metuendum, ne Ju-dæi migrant. (6.) quod iudex, qui pro Judæis ob concientiam judicare nolle, fraudere poffit illis, vt ſibi proſpiciant de bono pignore, vt judicis auxilio carere queant. Tandem de vſuris quincuncibus in §. 172. R. J. anno 1654. §. 174. dictum medio inter leuamina inopum & tempore belli tricennalis op- preſſorum debitorum loco, vnde nouæ lites ortæ, quas componere non eſt noſtrum.

X.

Jus Vſucaptionis juri naturali
non repugnat.

COM-

COMMENT.

Ante omnia hic euoluendi sunt termini: 1.) quid vñ
capū, 2.) quid juri naturali repugnare.

Est autem 1.) *vñscapio*, vt Jcti Romani definiunt:
adjectio seu adquisitio rei dominii *per continuatio-*
nem possessionis, temporis, lege definiti, L. 2. f. de
vñscap.

Deinde 2.) contra jus naturæ proprie dicitur, quod ju-
re naturæ prohibetur, latus autem: quod ex jure
naturæ secundum principia rationis *non fluit*, vel
adeo euidenti ratione non fluit, nec sequitur. Ex his
euidentis est, vñscaptionem jure naturæ non prohibe-
ri, adeoque in sensu primo strictiori contra jus na-
turæ non esse. Certe in statu ciuitatis, de qua no-
bis & AVO sermo est. Nam jus naturæ modos do-
minium rerum suarum amittendi non in pñcto de-
finit, sed prudentiæ Imperantis in qualibet ciuitate
relinquit. Ut patet v. c. exemplo publicationis bo-
norum a damnatis ad mortem relictorum. Item
exemplo hereditatum INDIGNIS a fisco Romano
ablatarum, quos juris ciuilis titulos contra jns na-
turæ esse, vel juri naturæ repugnare, nemo haec-
nus cum ratione dixit. Idque ideo, quia prudenti
Imperantis judicio reliquum est, qua ratione ciuium
suarum socordiam, negligentiam, culpari, aut pla-
ne malitiam, vel delicta, vitrum rerum bonorum
que amissione, an honoris imminutineo, vel cor-

D 2

po-

poris cruciatu coercere malit. Præcipue, si rerum ciuium amissionem non sui lucri cauſa, ſed laſtiam diligentium, vel litium euitandarum cauſa, vel: ad certitudinem dominiorum introducendam, vt in vſu capione factum, definit. Imo quid obſtat in ciuitate, vel ſoli longi temporis b. f. poſſeſſioni hanc effectum, vt modum adquirendi conſtituat, tribuere? Cum quilibet ciuis leges circa dominiorum conſeruationem & amissionem latas ſcire debeat, nec proinde illi, qui ſuum contra leges neglexit, tanquam volenti injuria fiat, neque per actionum de dannorum reparatione, quæ quis ſua pigritia, ſua negligentia ſenſit, & facile præcauere potuit, infinitam veluti multiplicationem forum fatigandum. Itaque, vti modos adquirendi, conſeruandi, rectiſſime imperans deſcribit: ita quoque cauſas amittendi, modo ciuibus media relinquuntur, quibus amissiones euitent, ſat iuste decidit. Ut nihil obſter theſi AVITÆ: præcipue cum tantum de vſu capione, quæ tot requiſitiſ, v. c. rei non vitioſæ, iuſti tituli circumſep̄ta eſt, loquatur. Ad rationes diſſidentis PVTEANI, quæ olim & CVJACIO & VASQVIO placuerunt, ſatis reſponſum à WERLHOFF. in diff. de præſcr. inter gent. Objicit quidem ulterius BRVNNEMANN. iuſtitiæ vſu capionis: *forum poli & conſcientie*, Lib. 1. cap. 6. memb. 1. §. 19. in hoc enim aliter Deum iudicatum, ſed ipſe, vt contextus ratio oſtentit, non loquitur de veris bona que fide impletis vſu capioni.

nibus, verum de illis, vbi vsucapiens defectu probationis contrariæ nixus varias circumstantias, quas aliter sciuit, dissimulauit, vel plane negauit. Ut constat ex ipsius verbis: *virumque contra conscientiam negat reus*, ibidem. Tandem cum & illud juri naturæ in lato sensu repugnare dicatur, quod ex jure naturæ non fluit, nec euidenter certe sequitur: respondendum etiam est ad quæstionem alteram, an vsucapio hoc certe sensu juri naturæ repugnet, quod ex jure naturæ status naturalis non fluat, sed libero imperantium arbitrio introducta sit. Enimuero nec hoc sensu vsucapio juri naturæ in statu ciuili adeo repugnat. Nam jus naturæ adquisitionem & amissionem rerum, secundum lapsum temporum dimetiendum in ciuitatibus ciuitatum rectoribus omnino commendat. Rem efferre placet verbis PVFENDORFFII, apud WERLHOFF. dict. diff. de præscript. inter genti. pag. 28. *Vsucaptionem*, inquit PVFENDORFF, prout abstrabit a punctis temporum per leges ciuiles designatis, esse velut adpendicem & conseclarium dominii rerum, adeoque cum dominia rerum introducerentur, id quoque pacis causa placuisse, vt. qui aliquid neque vi, neque clam, neque precario suo nomine posse fideret, tantiisper dominus præsumeretur, donec ab aliero contrario probaretur; qui autem per longissimum temporis spatium, per quod nemo medioriter diligens rem suam negligere creditur, aliquid b. f. possederit, serum petitorem plane possit repellere,

lere, quod non citius rem suam vindicatum inerit,
sed silentio quasi dereliquerit.

XL

Datur dominium maris.

COMMENT.

Pro dominio maris scripsierunt SELDENVS tr. de
mar. claus. VASQVIVS in contr. illust. ALBERI.
CVS GENTILIS in Advocatia Hispaniae, STRAVCH
de imperio maris, H. ab EYBEN disquisit. 6. ad
Inst. obseru. 3. OBRECHT ad GROTIUM pag. 1081.
KVLPIS in coll. Grotiano ad lib. 2. cap. 2. 3. Imo
BOECKLERVS pag. 48. ad Grot. d. l. exilitimat,
hanc sententiam plerisque se commendasse. Vicif-
sim pro libertate maris auctores sunt: GROTIUS
de mari libero & dein Lib. 2. c. 2. §. 3. c. 3. §. 8-16. de
J. B. & P. PVFENDORFF. Lib. 4. cap. 5. in jure
naturae, CONRING in diff. de mar. liber.
SCHVRTZFLEISCH de mar. seruitur. HVBERVS
cap. 13. 14. 15. 16. de jure in re, & de jure ciuitat. p.
451. Nec aliter plerique, qui ad GROTIUM vel
PVFEND. commentarii sunt, vide HOCHSTETER
ad PVFEND. pag. 374. THOMAS: ad HVBERI
jus ciuitat. Recentius BYNCKERSHOECK diff. de
dominio maris. Media via plerisque se commen-
da-

davit: esse mare in dominio posse, quatenus occu-
pari, & occupatum retineri potest, vt freta, sinus,
imo maria integra, quæ vnius imperantis terra
continenti cinguntur. Reliqua vastum oceanum
occupandi, occupatumque retinendi consilia ina-
nia, plane in alias gentes injuriosa esse, nec sine
imprudentiae nota communisque odii periculo palam
proferri, BOECKLER. ad GROT. pag. 52. d. l.

II.) Distinguit quoque GROT. inter occupationem
IMPERII maris & DOMINII maris §. 13. num. 2. d.
c. 3. atque hoc difficilius illo occupari notat. Ne-
que vero diffitendum est, imperium, quod in per-
sonas, a dominio, quod in res competit, differre,
vt CONRINGIVS d. l. vidit, & distinctius exposuit
THOMAS p. 6. lit. g de perpetuit. debit. pecuniari-
or. Pariter de Romanis obseruat HVBER. ipsos
IMPERIVM maris, non DOMINIVM sibi tribuisse,
sed mare rem omnibus communem habuisse. At
si abstrahimus ab eruditis speculationibus, vsum
que rerum sequimur, facile comprehendimus, sub
imperii titulo etiam dominium certe PVBLICVM
& EMINENS adfectari a Principibus, qui thalasso-
cratiam ambiunt, neque imperio potito Principi
multum in effectu de dominio deesse. Nec dein de
libero vnu maris felicius contra hunc ab illis dispu-
tari, qui imperium concedunt, quam qui domini-
um concedunt, vt rectissime annotatum ab HV-
BERO num. 44. d. l. Ad imperium maris retulit
cer-

certe CONRING. noster *d. diff. Tom. 4. pag. 957.*
 1) demissionem veli, 2) jus portus, 3) jus impo-
 nendi vectigal, 4) jus Angariarum, 5) jus jubendi,
 vt ne ad littus accedatur, vt ne piscatio exerceatur,
 6) jus puniendi delicta, 7) jus exigendi vectigal &
 reliqua. Quæ itaque addenda restant quæso, si
 IMPERANS se etiam DOMINVM maris dicere
 vellent? Certe sicuti imperium in terra continenti
 præter jus actiones ciuium moderandi, jus quoque
 eminens in bona illorum, seu dominium eminens
 conjunctum habet: ita de maris imperio eadem di-
 cenda. Quare vere adsertum est ab AVO: *Dari*
non tantum imperium, sed dominium maris, non
quidem illius, quod totum orbem habitabilem ambit,
verum finum, fretorum, vt jam dictum, imo pror-
fus marium integrorum singularium terris impe-
rantis inclusorum. Vis exemplum? conf. de mari
Adriatico JACOBVM GOTHOFREDVM in diff. ad
legem axios tit. ad leg. Rhod. de jactu, quæ inter opu-
scula secundum constituit, vbi pluribus de dominio
Romanorum in hoc mare. Interim Romani ciuibus
suis circa vnum maris littorumque libertatem reli-
querunt, v. c. ad mare casam exstruendi, aut ædi-
ficium tollendi, exercendi pescationem solidarium
in diuerticulo, quæ cum aliis e. g. quomodo loca a
priuatis occupata dein ex cauſa denuo ad publicum
redire Romani voluerint, discenda sunt ex L. 58.
de A. R. D. L. 5. §. 1. tit. de R. D. L. 14. de A. R. D.
L. 7. de diuers. temp. praescript. GROT. Lib. 2. c. 3. §. 9.
 THO-

THOMAS. contra BYNCKERSHOECK. pag. 454.
ad HVBER. d. l. vbi simul notat errores viri: 1)
quod credit, possessionem & dominium conjuncta
esse tam in adquisitione, quam in amissione, 2) jus
gentium respuere retentionem possessionis, quæ solo
animo constat in vniuersum, 3) in occupatione re-
rum nulla opus esse proportione instrumentorum
modique occupandi cum rebus occupandis ipsis, sed,
v. c. oceanum occupari & adquiri posse una
scapha.

XII.

Pœna homicidii non est na-
turaliter determinata.

COMMENT.

Jus naturæ 1) imperantibus dictat, vt malum, qui
virtutis amore in viam redire nescit, malo aliquo
externo coercent, seu pumiant. 2) vt pœnam me-
tiantur in genere ex eo, quod medendo malo satis
esse possit, adeoque vt punientes in determinatio-
ne pœnæ proportionem inter delictum & pœnam
obſeruent, vt medicus inter morbum & dolin me-
dicinæ. 3) vt in specie pœnas ex præsentis delicti
circumstantiis pariter exacte ÆSTIMENT. Vnde
forte

E

forte est, quod PAPINIANVS in L. 41. *de pœnis* inter synonyma fere retulerit: PVNIRE delictum & AESTIMARE delictum. Aestimationem autem circumstantiarum in delictis suggerit SATVRNINVS L. 16. §. 1. d. t. 4) ut summi imperantes aliquando pœnam plane omittere jubeant, si scil. omissa pœna rem ciuitatis magis saluam fore deprehendunt, quam pœna inficta. Jussi enim sunt non: ut PVNIANT simpliciter, sed ut puniant PRVDENTER & ex salute ciuitatis, atque nec tantum ideo, quia peccatum, sed ideo, ne amplius peccetur. (*1.) Plura jus naturæ non præcipit, nec pœnarum species definit per modum regulæ, an bonorum amissione, an corporis cruciatu, an vitæ ademtione in reum animaduertendum. Multo minus quanta pars bonorum publicanda, quodnam genus cruciatus infligendum, quoniam ultimi supplicii generare vita auferenda, sed hæc omnia relinquunt rectoribus ciuitatis, ut in LL. suis secundum prudentem experientiam, quodnam pœnae genus ciuitatibus suis magis expediat, describant. Sane, quæcumque pœna sit, etiam si lenior sit, modo expediat ciuitati, (*2.) sufficit. Obtento enim fine, non opus est

(*1. *2.) Hoc ipso ingens inter medicum curantem & magistrum punientem discriben est. Hic in sua cura primario salutem publicam, secundario delinquentis emendationem respicit. Medicus autem non integræ ciuitatis, sed tantum sui agroti curam & sanitatem, dum medicinam facit, attendit.

est exacerbare medium. Alias, an v. c. ultima supplicia abroganda, multiplicanda, exasperanda sint, vid. Dn. PRÆSID. p. 46*i.* in fin. seqq. ad Carol. Plura pro adserenda AVI thesi non addimus; si enim jus naturæ nullam poenam determinauit in genere: nec idem effecit in homicidio in specie, verum & hujus poena metienda est ex regulis juris naturæ jam traditis. Plane nec aliter dicendum de adgratiatione secundum jura diuina. Quæ enim hic ex scriptura sacra obstat evidentur, præter THOMASIVM in diss. de jure princ. euang. adgrat. in poenis homicidii, soluit Dn. PRÆSES pag. 75. seqq. von Tauben und Stummen.

XIII.

Matrimonia parentum cum liberis jure naturali sunt prohibita, non vero fratrum & sororum.

COMMENT.

Fata doctrinæ de incestu apud gentes disci possunt ex iis,
quæ magna diligentia congefferunt SELDENVS
E 2 cum

cum de vxore Hebraica, tum in jure N. secundum disciplinam Hebræorum. GROT: de J. B. & P. L. 2. cap. 5. §. 12. seqq. PVFEND. L. 5. c. I. §. 28. seqq. J. N. GROT. in Comment. ad scripturam sacram LEVIT. 18. & alibi. GERHARD in loco de coniugio, & quotquot circa jura conjugalia industriam suam exercuerunt, v. c. BROUWER, CHAMIER in libris suis, GONZALEZ ad T. 5. decretal. aliisque. Quæstio primaria inter disputantes est, an illius incestus juri naturæ contrarius? Hic non inepte obseruatum est a nonnemine, hujus quæstionis solutionem supponere auctorem, qui b. f. in bonum finem quærerit, & disputat, quique ipse vsu & exercitatione sua diligenter in praxi & exercitio juris naturæ versauit. Imo, qui rem non secundum vnum aut alterum insufficiens hujus vel illius systematis juris naturæ principium, sed secundum veritatem rei diligentissima naturæ hominis moralis meditatione sua industria inuentam dijudicare consuevit. Idem censemus de altera quæstione, ex qua idonea cauſa naturali a proxime sanguine coniutorum nuptiis abstinentium. Plurium rationes hic recitat & excusat PVFENDORFF. d. l. THOMASIVS c. 2. 3. §. 44. L. 3. fundam. jur. nat. difficultates soluit, facta inter justum, honestum & decorum distinctione, de quibus tribus latius egit Tom. 6. observ. Hallens. obs. 27. TITIVS ad PVFENDORFF d. l. & ad eundem de O. H. & C pag. 489. circa prohibitionem in linea recta pro ratione J. N. adfert: quod

quod naturæ humanae repugnet hominem generare ex se ipso. Nouissime J. K. in Vernunft- vnd Schriftmässigen Gedanken von der nahen Heyrath, Hannover, 1734. plura circa lineam rectam commemorat ex combinatione & progressu der menschlichen selbstständigen Einheiten, quæ suæ arithmeticæ principia e regulis musicorum illustrat pag. 84. 85. Dissentit quidem ab AVO circa lineam collateralem TITIVS d. l. quasi regula juris naturæ esset, quod a natura sociali abhorreat, ut cognatio vix inter fratres & sorores cœpta iterum redeat ad sua initia, quæ potius latius spargi debuisset. Consentiant tamen cum AVO Moralista Catholici, vid. WIESTNER ad tit. X. de consanguineis num. 27. 28. DD. nostrates, vide responsum Helmstadiense, pag. 489 apud BRVNNEMANN in jurispr. eccles. qui omnes juris naturæ prohibitions ad lineam rectam restringunt, & conjugia liberorum Adami inter se quandam inita præcipue vrgent. Respondet quidem TITIVS, hæc conjugia exceptionem necessitatis tueri, vt v. c. furtum fame excusetur, sed forte nec nobis deerit responsio ad hanc respondendum inter disputandum.

XIV.

Polygamia, qua maritus plures E 3

res simul habet vxores, nee jure naturali, nec jure diuino veteri voluntario est prohibita.

COMMENT.

Sententia celebriorum doctorum J. N. & ethicæ de polygamia etiam virili seu polyandria eoredit: quod monogamia etiam virilis præstet rem paulisper expedientium judicio cuique polygamiæ. Nam primum in mundo matrimonium, quod ipse Deus conjunxerat, erat monogamia, teste historia sacra. 2.) Consentit vetustus nostræ gentis historicus TACITVS c. 18. *de M. G.* qui laudi singulari majoribus nostris dicit, quod fere soli inter gentes barbaras vna vxore contenti vixerint. Siudet 3.) monogamiam ethica diuina apostolica, quæ a) vni vnam adjungit, b) inter conjuges reciprocum & æquale jus in mutua corpora statuit. Episcopos, ad quos præcipua ratione spectat, aliis bonum exemplum præbere, vnius vxoris viros esse jubet. Nec ullibi de statu conjugali alio sermone vtitur; quam illo, ex quo colligimus, vnum non nisi vnam decere, *vid. I. ad Corinth. VII. per tot. c. XI. ibid. I. ad Timoth. I. c. 3. v. 12.* Ad monogamiam etiam introducit ethica naturalis, commendatque eandem a) ob amicitiam inter

ter vnum & vnam fideliores, sinceriores & tutiores; b) ob finem matrimonii primarium, honestam scilicet liberorum procreationem, & educationem facilius & certius obtinendum. Imo c) ob consequendum etiam finem secundarium, mutuum benevolum adjutorium, conseruationem rei familiaris, & d) rationes bonae & economiae luculentas, e) ob euitanda plura pericula, quae Zelotypia inter plures vxores producit, quæque non nisi cum insidiis, turbis quotidianis, cumque plurium uxorum adulteriis, aut certe horum malorum certissimo metu conjuncta esse solent. Ceterum, si de iustitia naturali quæstio incidit, vtique dicendum est, quod polygamia virilis sit extra legum naturalium de actionum JVSTO statuentium sphæram. Nec enim per illam, si initio inter personas solutas libero utriusque consensu contrahitur, jus contrahentium læditur, nec aliis injuria infertur. Quamuis omnino præjudicialis quæstio sit, an Christianis viris, qua talibus, jus & fas sit initio a sponsis suis plures uxores sibi adsciscendi licentiam stipulari. Nam regulæ ethicæ apostolicæ, præcipue PAVLI regula I. ad Corinth. VII. v. 4. conjunctionem vnius cum vna, non e mero contrahentium jure, aut arbitrio suspendunt, sed vt matrimonium ita, vt vni conjugi in alterius corpus jus solitarium despondeatur, ineatur, jubere, & præfertim, si addatur ratio versic. XI. ibid. omnibus Christianis monogamiam præcipere, adeo que ejusmodi stipulationi grauissime obstat videtur.

tur. Neque vero memini, apostolos ullibi in doctrina de morum pietate & castimonia inter principes & ciues discrimen constituisse, aut uspiam opera carnis ad illorum exochas retulisse. Vnde nescio, an libidini humanæ multum praesidii accedat, si quidem speciose euictum est: polyandriam jure naturali non prohiberi. Accedit & hoc, quod præter rationes ethicas nobis etiam leges juris communis, canonici & recessus imperii obstant, ut omnis proinde subtilior hic in contrarium tentata disputatio usu pragmatico careat. Nec proin multis immorandum sit huic controversiae. Reliqua cum AVO consentiunt G. A. STRUV. STRYCK, aliquique, qui prohibitionem polygamiæ legalem ciuili legi tribuunt. Quod sano sensu defendi posse, jam demonstratum est. Reliqua facile missos facimus polygamiæ laudatores & objurgatores, adeo omnibus jam diu ad liquidum perductis, & quid agendum in foro fori in imperio nostro definitis. Alias ex recentioribus vid. WERNSDORFF *de polygam.* & duo scripta, quæ in causa diuortii *megapol.* existant ap. LVNIG *script. ill.* p. 680. ubi Polygamia p. 682. inter regalia principum relata, p. 685. autem e catalogo regalium denuo expuncta.

XV.

Jus gentium non est propri lex,

lex, sed habet vim pacti inter gentes, vnde ab vna gente reliquis inconsultis mutari nequit.

COMMENT.

Homonymia vocis juris G. saepe facta fuit logomachiarum, vel aliarum inanum disputationum causa. Quae vero diuersae acceptiones sint, recenset TITIVS: v. c. jus G. dicitur: 1.) lex naturalis, quo sensu pactorum custodia ad jus gentium relata est. 2.) Speciatim jus naturae hypotheticum, siue illud, quod introducta imperia & dominia presupponit: ut testamenta facere. 3.) Quod inter omnes gentes per modum pacti expressi placuit. Cujus vix dantur idonea exempla. Nec enim gentes, aut gentium rectores vel omnes, vel plerique vñquam conuentum habuerunt, nec pacta communia in usum juris gentium condiderunt. Nam quae auctor FLETÆ L. III. c. 6. §. 3. de conuentu omnium regum ad montem pessulanum deque pacto ibidem de bonis coronæ non alienandis Edoardo, Henrici IV. filio regnante, confecto refert, næniae sunt, vid. SELDEN p. 549. in Commentar. ibid. 4.) Jus gentium saepe idem notat, quod MORES gentium inter gentes, quas inter saepius bella, pacificationes,

F. magister erat. O. a. com:

commercia tam extra judicium & quæstus ergo,
 quam judicialia justitiaeque vel decori causa interce-
 dunt, ex mutua vtilitate receptos, v. c. modum
 hostes perimendi, seruare res ad victum necessari-
 as, v. c. aquam ne in bello quidem intoxicare, consue-
 tudines cambiales, mutuo sibi remittendi delinquen-
 tes, attendere reciproce res inuicem judicatas, san-
 ctas habere legatorum personas. Duo posteriora ju-
 ra G. ex recensitis rationem legis non habent. (*)
 Duo reliqua n. l. 2. a nobis commemorata habent.
 Verum non LEGIS, vt hominum leges esse solent,
 quæ ab imperante veri imperii jure ciuibus ferun-
 tur, sed legis naturalis, quæ se vtilitate sua & auto-
 ris sui fiducia, qui Deus est, instar regulæ sanita-
 tis commendat, vid. THOMAS, in fundam. L. I.
 c. 5. §. 2. 3. Satis itaque thesi AVITÆ sua constat
 veritas, suaque interpretatio, quod jus Gentium,
 vt sepe accipitur, & a jure naturæ secernitur, non
 sit LEX. Interdum tamen inter quasdam gentes
 in foederibus, vel in pacificationibus per modum
 PACTI constitui speciem juris gentium particularis.
 De qua juris Gentium specie videnda sunt exempla
 apud

(*) Mores enim & consuetudines inter gentes desitauntur com-
 munis legislatoris approbatione, pactoque universali, sine
 quibus consuetudines inter gentes non parunt obligationem,
 vid. THOMAS, ad HVBER. præl. ad Inst. p. 7. & in
 fundam. L. II. c. 5. 6. seqq. Quamvis consuetudines gen-
 tium insuper a gente haberi, aliquando rationibus consilii,
 prudentia & decoro repugner.

apud LEIBNITZ in C. J. G. D. & du MONT in
corp. jur. gent. diplomat.

XVI.

Bella dicuntur juris gentium,
quatenus certa bellorum forma
illo jure est introducta.

COMMENT.

Bellum ratione originis est ex affectu humano siue ju-
sto res suas tuendi, recuperandi, sibi debitum adi-
piscendi. Siue injusto: alienum scil. iniadendi, al-
teri suum intercipiendi, aut certe aliud in vnuju-
ris sui turbandi. Dicitur in L. 5. ff. de J. & J.
item in J. de J. N. G. & C. §. 2. quod bella sint e ju-
re gentium. Accepto scil. jure gentium pro mori-
bus gentium corruptis, vt esse solent, si de bello
injuncto sermo, & pro jure vero ex naturali ratione
gentibus competente fluente, si quæstio de bello ju-
sto. Quæ vero ad formam, solemnitates exter-
numque apparatum bellum gerendi, continuandi,

F 2

fini-

finiendi referuntur, vt: indictio, parcere certis rebus, regum personis, dimissio captiuorum sub fine nobilitatis, congressus pacifici solemnitas, ad decorum gentium spectant, cont. GROT. Lib. III. c. 3. ad 16. HVBER: p. 734. de jur. ciuit. ibique THOMAS. LVNIG in *Ceremoniel*, & quos citat Dn. TREVER Dissert. de decor. bell. Ex his dictis facile intelligitur thesis AVITA. Olim bella plane spectare credebantur ad pensa gentium annua. Quid enim alias libi volunt verba II. Sam. XI. v. 1. Vnd da das Jahr vmb kam zu der Zeit da die Könige PFLEGEN auszuzieben, sandte David Joab vnd seine Knechte mit ihm, vnd das ganze Israël, das sie die Kinder Ammon verderbeten. Verba: zu der Zeit exponunt Hebræi de tempore aestiuo, quo cibi & pabula suppetunt hominibus & jumentis, MVNSTER. VATABL. ad. h. I. CLERICVS putat, vernum tempus hic intelligi. Nec forte adeo male. Sane olim & Germani nostri ad bellandum prædasque agendas bis quolibet anno, vere & autumno, excurrere solebant.

XVII.

Potest esse bellum ab utraque
parte certo respectu justum.

COM.

COMMENT.

Respxit hic AVVS, vt ex marginalibus adscriptis mihi constat, ad locum GROTTII *Lib. 2. c. 23, §. 13.* vbi variis distinctionibus rem exponit. Rectissime idem GROTTIVS alibi dixit: JVSTM & INJVSTM non esse aptos terminos, vnde dijudicemus potentium controvrsias, scil. ytrinque in bellis aliquid justi & injusti adesse solet, licet communis iudex inter partes desit, nec pars parti ita luculenter, vt altera nihil habeat, quod reponat, caussæ suæ justitiam ostendere possit. Quare legati Gallorum in congressibus anno 1645. cum de pace reducenda consilia agerentur, monebant, pacificationis indolem non admittere exactiores disputationes de partium justitia, & cuinam res, ex illo capite, quod in ipsa prima origine jure ad ipsam spectauerit, in futura pace restituenda sit. Præterea quoque in pacificationibus æque ac in foro ciuili, vel magis adhuc locus est veteri dicto: petimus iniqua, vt obtineamus æqua.

XVIII.

Quæ in bello solemnī, aut
ejus finiendi caussa promittuntur,

F 3 adeo

adeo sunt valida, vt ex causa me-
tus injuste illati inuito illo, cui
est facta promissio, in irritum
deduci non possint.

COMMENT.

An exceptioni: quod metus causa, locus sit contra pacificationes, vid. apud PVFENDORFF Lib. 8. c. 8. GVNDLING schediasmate singulari de effici-entia metus. GROTI Lib. 3. c. 19. §. II. haec philosophia est: *in bello solemni jure gentium exceptio-nem metus excludi, pietatem tamen jubere, vt in-justissimus viator extortare restituat*; excipit tamen paulo post §. 12. metum, quem jus gentium improbat incussum, vt si stupri inferendi metu aliquid extor-tum. OBRECHT vero ad GROT. cit. l. ideo remouet exceptionem: METVS, quod pacem face-re non ad INVITA referendum putet. Esse enim hic principium agendi intra agentem. PVFENDORFF d. l. distinguit species, an excipiens de metu initio ab altero per vim inuasus, & ad quaevis extrema coactus fuerit, an vice versa ipse vietus primum ad-gressus sit viatorem, vel certe sua sponte se immi-scuerit per bellum concertantium choro. THO-MAS. Lib. 2. c. 7. §. 16. in fundam. jur. quæstionem

ex

ex singularibus circumstantiis solvendam esse moneret, an, v. c. victor principem victum plane in carcерем conjecerit, & quaevis dura minatus sit, & si quae alia. Pragmatice dicendum videtur: victo cum insigni potentiae victoris incremento ad incitatas redacto, vix unquam, simulac opportunitas novi belli adfuerit, occasionem & modum deesse auxiliatores Principes alios, quibus per vim crescens victoris potentia suspecta, adeoque & odiosa est conquirendi, quorum deinde adjumento ad possessiones amissas recuperandas cum successu utique queat, quo negotio feliciter confecto facile postea suae exceptionis a metu desumptae justitiam, si denuo ad arma feliciori fato ventum est, tuebitur, praecepit in tanta hodie conscriptorum deductionum, ut vocantur, venalium copia numeroque. Add DANCKELM. de part. & mand. princip. capt. BÖHMER diss. de exc. met.

XIX.

Rex siue Princeps, qui aliquam prouinciam jure belli occupat, detinet & ad posteros transmittere vult, obligatur ad sol-

soluenda debita tertio vicino aut
alii non hosti, & ad alia onera
præstanda, quæ is in territorio
illo ante occupationem habuit.

COMMENT.

Casus ad hanc obseruationem pertinens nostra ætate contigit. Scilicet Carolus XII. Rex Suecorum mutua pecunia a Belgis sumta loco pignoris ipsis adsignaverat vectigal Rigense in Livonia, sed quum dein accideret, Petrum I. Russorum autocratorem vrbe Rigeni potiri, Belgæ creditores ipsum adibant jure hypothecæ confisi, mutuam pecuniam ab eodem repetituri. Sane quum Russorum Cæsar Livoniæ Rigamque occuparet, jus vectigalium non amplius Suecorum regis in potestate erat, sed hypothecæ nexu Belgis iam tenebatur. Regula AVI extat apud GROT. Lib. 3. c. 6. §. 26. quæ res hostium non sunt, licet apud illos inueniantur, capientium non sunt. Neque vero quod in potestate dominioque regis Suecorum non erat, in pacificatione deinde cum Russia secuta in hanc transferri poterat. Nec victor in pacis tabulis plus offerre potest victo, quam tempore, quo pacis tabulæ scribuntur, habet. Et si victor rem a victo tertio pignoratam liberam adqui-

quirere vult, ut consensu creditorum fiat, necesse est. Nec aliter dicendum de juribus realibus reliquis. Nam si provincia quædam in tabulis pacis victori cessa seruitutem domino alterius provinciæ debuit, deber eandem etiam adhuc, postquam ab alio in bello occupata est, modo inter hunc & vi-
ctorem nullum bellum, nulla pacificatio, nullaque cessio interuenerit.

XX.

**Jura incorporalia, qualia sunt
actiones, nomina & credita, cum
re corporali ita ad victorem iu-
re belli transeunt, ut nomina &
credita exigere vel debtoribus
remittere possit.**

COMMENT.

Consulere hic AVVS *in not. margin.* Mſſ. jubet GROT.
Lib. 3. c. 7. §. 4. & c. 8. n. 4. ubi GROT. illos refutat,
qui

G

qui existimant: incorporalia belli jure non adquiri. Sane ex jure Gentium circa res incorporales, cur non a victore æque adquiri possint, ac res victi hostis corporales, nulla idonea dubitandi ratio adferri potest. Nam quæ quondam veteres de actionibus personalibus creditorum offiib⁹ inhaerentibus, & sine cessione in ali⁹ non transeuntibus disputatione, non juris Gentium, sed juris ciuilis foetus sunt. Alias nemo non videt, in bello aleæ & victoriae forti partes plane vitam exponere, adeoque multo magis bona, corporalia, an incorporalia sint, non interest. Ut ut, si dicendum, quod res est, res hostis in hostem mero belli jure tantum ad interim trans̄eant, (*) perpetui autem dominii jure demum victoris fiant ex pacto tabularum pacis deinde securarum, ut satis demonstratum a Dn. PRÆSID. in specim. L. I. tit. III. §. XIIIX. p. 113.

XXI.

(*) Clarius distingui potest ita: in bello res ab hosti⁹ captae etenus quidem, si in locum securum semel translate⁹ sunt, capientium fiunt, ut deinde, si post capionem in tertium medium (neutralem usus vocat) a capientibus transferantur, dominorum prislitorum rei vindicatio cessa⁹. Si vero res, quas hostis ab hoste cepit, apud capientem manent, quamdiu pax non secura est, eodem jure belli, quo capta sunt, ab iis, quibus ablat⁹ sunt, recipiantur. Cum hosti⁹ plane possessionem antiquissimam auferre jus sit.

XXI.

Summa imperia possunt ad-
quiri longa possessione per tac-
tam derelictionem, qua etiam
nondum natis jus decedere pot-
est.

COMMENT.

Duo hic adseruntur ab AVO: 1.) imperia præscribi seu
vsucapi posse. 2.) posse etiam nondum natis jus
speratum decedere seu intercipi. Sunt alias tres sen-
tentiae circa prius adsertum. Sunt enim, qui do-
cent, res publicas adeoque & imperia nunquam
præscribi, vt olim PVTEANVS, HOSPITALIVS,
& hodie Dn. de LVDEWIG passim. Sed horum
rationes vel confecit, vel excusauit, & mollius ex-
pliuit WERLHOFF *in diff. de præscriptione inter*
gentes pag. 51. 70. 71. Sunt dein, quibus ne opus
quidem esse videtur, præscriptione, possessione sola
inter gentes possidentem jure beatum reddente.
Ita Dux NIVERNVS quondam & quod mirandum
Dn. de BYNCKERSHOECK *tr. de mar. liber.* licet
olim

olim professor juris apud Batauos suos. Sunt denique, qui præscriptionem imperiorum certe cum derelictione tacita admittunt, vt GROT. PVFEND. HVBER, aliquie, quos laudat & sequitur WERLHOFF *d. diss.* Hos inter & AVVS est. Imo nec hodie inter cordatiiores, postquam præscriptionis publicæ fundatum in derelictione tacita, vel vt in immemoriali, in deficientia probationis inter gentes quæsumum, & repertum fuit, quæ duo fundamenta nullius juris gentium doctor rejicere potest, quispiam exstat, qui dissentiat, vt non opus sit diei lucem foenerare velle. Imo non tantum regem vicinum, vicinum imperium, sed etiam ipsos alicujus imperii ciues præscriptione libertatem sibi querere, vel præscriptione formam imperii in aliam formam v. c. monarchiam in democratiam, aut aristocratiam mutare posse, definit HVBER. *in Jure ciuit. p. III. integro c. 9.* Plane inter regem christianissimum & gentes huic vicinas rarius opus est ad præscriptionem longissimi temporis, aut prorsus immemoriam recurrere, quium vicinis cum hoc rege toties nouiter pax facienda, nouæque conuentiones de commerciis, foedera, tractatus conscribi oporteat, vt controuersia exorta justitiæ caussa vicinorum sat præsidii e tam ampla tot chartarum pacitiarum penu arcessi possit, vt non opus sit a præscriptione, vel a temporum calculo, quæ satis hic ob fidem toties ruptam, breuia sunt, consilium repetere velle.

II. De nondum natorum jure GROT. II. IV. 10. 2.
PV-

PVFEND. IV. XII. 10. GILKEN. de usucap. p. 760.
AVCTOR compos. pac. p. 289. Quæsuerunt hic
DD. anxie, quo modo nondum natis jus auferri
possit, cum nondum aliquid animaduersione di-
gnum commiserint. Enim uero potius querere
debuissent, quomodo nondum rati plane jus habe-
re possint. Si enim quis nondum natus homo, nec
conceptus, quomodo jus hominum ipsi potest com-
petere? Habet enim jus respectum ad personam,
cujus jus dicitur, nec concipi potest jus: NVLLIVS,
sed semper concipimus jus certæ personæ v. c jus
Titii. Deinde vti majores nostri, parentesque no-
stri jus aliquod suo tempore posteris suis profuturum
adquirere, ita & auitum jus alias in ipsos transitu-
rum iisdem intercipere possunt. Nec enim magis
aliquid secundum naturam est, quam commoda &
incommoda eodem jure censer. Ciuii tamen lege
fieri potest, vt in gratiam nondum natorum jus ali-
quod a viuentibus inalienabile constituatur. Vis
exemplum? en fideicomissa familiæ, quæ adeo
curæ sunt legi ciuitatis, vt in gratiam nondum nati
imo nedum concepti quidem, sed tantum sperati
cautio exigatur, vid. §. 6. p. 365. Specim. Dn. PRÆ-
SID. His adde alind e jure publico, Tit. 7. §. 2. A.
B. vbi jus primogenituræ in gratiam filiorum ele-
ctorum in perpetuum definitum, vt mutari & alie-
nari nequeat sine consensu illorum, imperatoris
scilicet & electorum, qui primi statuerunt & condi-
derunt. Suggestit & Gallia exemplum in famosis

ſu's traditionibus. 1.) Ex lege Salica: LILIA NON NENT, item 2.) BONÆ CORONÆ SVNT IN ÆTERNV M INALIENABILIA ET INPRÆ-SCRIPTIBILIA. Adeoque datur omnino jus nondum natorum CIVILE, quod tamē intra fines ſuæ ciuitatis cohibendum eſt. Nam extra mœnia no- mothera ciuilis gratis jus dicit ſtatuitque. Quare nonniſi inepte Galli extraneis, ſi quibus partem bonorum coronæ Galliæ poſſidere contigit, legem ſuam pragmaticam de inalienabilitate bonorum coro- nae obtendunt. Et hæc ſufficient pro illuſtrandis theſibus AVITIS. Nec enim demonstrationem ad- dere, res poſcit ulteriorem.

XXII.

Jus publicum Justinianeum non obligat Germaniam.

COMMENT.

De vſu juris ciuilis Justinianei in controverſiis publicis gentium, WERLHOFF, *diff. 1692. habita ē EN- GELBRECHT in diff. de vſu juris ciuilis in jure publico*, item WERLHOFF, *in notitia S. R. J.*
L. I.

L. I. c. I. §. 23. GRIEBNER Tom. I. Opusc; Sect. 5.
de præjud. princ. imp. ex abusu juris Justinianei. Re-
ete tres quæstiones secundum hunc distinguendæ.
Prima est de vsu juris Justin. in causis juris publici.
2) De vsu ejusdem juris in jurisprudentia principi-
pum priuata. 3) De vsu ejusdem juris in quæ-
stionibus inter Principes & subditos. Vsum pri-
mum nemo prudens adfirmabit hodie. Habemus e-
niam alias res, alias actiones, alias personas in jure
nostrø publico, quam de quibus in jure Justiniano
præcipitur. Vbi enim in jure Justiniano de Impe-
ratore Romano Germanico, de juribus ipsi reser-
uatis, de juribus ejusdem cum electorum consensu,
de juribus cum omnium ordinum comitiali consen-
su exercendis, de electoribus, ducibus, comitibus,
civitatibus imperii, ordine equestri, de imperio,
circulis, terris vicariatum, electoratibus, episco-
patibus, comitiis, conuentibus circulorum, principi-
pum, comitum & reliquis, quæ jus publicum nostrum
fere conficiunt, vola aut vestigium. Nec aliter sentien-
dum de quæstione tertia. Nam status modus gu-
bernandi, regalia, jura fisci & alia, quæ principi-
bus, comitibus, senatibus, ordini equestri in pro-
uinciis & vrbibus pagisque suis competunt, discen-
da sunt e prouinciarum formulis, *Land-Tags-Ab-*
schieden, *Lands-Privilegien*, *Befürdigungen der Lan-*
des-Privilegien in prouinciis, & ex priuilegiis,
reformationibus, *Verträgen*, *Vergleichen*, *Sitten*,
Herkommen, in vrbibus, pagisque. Nec regula
adfirmans, aut negans e jure Justiniano formari
potest.

poteſt: quidquid juris Justinianus habuit in ſuos
 ſubditos, vel non habuit in eosdem: illud ordines
 imperii pariter habent, aut non habent, in ſuos ſubdi-
 toſ ciuesque. Speciminiſ loco legi poteſt opuſcu-
 lum HERTII de ſuperioritate territoriali cum alle-
 gatis ibidem. Vnde non male GRIEBNER. p. 173.
 d. l. definiſ: compages prouinciarum, vrbium &
 reliquorum *der Länder, Städte, und Güter der*
Reichs-Ritterschaft, quæque ſuperioribus compe-
 tant jura, e jure ciuili regulariter aſtimari non po-
 ſe, niſi quatenus jus ciuile receptum probedetur in
 hoc argumento. Nam forma prouinciarum, vrbium
 in imperio noſtro germanico per aliquot ſecu-
 la jam conſtituta fuit, antequam jus Justinianeum
 migrauit in Germaniam. Interim dicendum tamen
 non eſt: uſum juris ciuilis hic plane exulare. Nam vi-
 de DD. ad ff. tit. de jure fisci & scriptores de jure fisci:
 PEREGRINV M aliosque. Optandum modo foret,
 vt JCti noſtri ſeculi principiorum ſuorum memores
 eſſent hic, nec ad placitum hominum fiscalium, in
 commodum fisci & damnum ciuium, emolumenta fisci
 Justinianei, & commoda fisci hominum principum e
 legibus rebusque gestis & actis in Germania in vnam
 rudem indigetamque molem congererent. Nam
 non raro v. c. in quaſtionibus de rebus nullius, ve-
 natiōne, pifcatione, metallis, ſalinis, rebus dere-
 lictis pro fisco judicant ex lege Germanica. Alibi
 autem v. c. de publicationibus bonorum viuere vo-
 lunt fiscum ſuum ad normam tituli: de his quæ vt
 in-

indignis auferuntur, aut tituli: de bonis damnatorum. Quod vero secundam quæstionem spectat, si de principum scilicet contractibus, testamentis, juramentis, jure in vxorem & liberos, filiis illorum familias, actionibus in judicio, controuersia est, vsum juris ciuilis GRIEBNER itidem dicit esse nullum inter principes c. 2. p. 159. seqq. per tot. Pro ratione allegans, quod principes imperii non sint subditi. Consentient fere LEIBNITZ *de suprematu* c. 25. seqq. Auctor apologiæ saxonice in causa juliacensi apud CARPOVIVM II. 35. 25. KVLPI^S *in diff.* p. 919. THOMAS. *in differt. de perpetuitate debitorum pecuniariorum* p. 45. Auct rectius dissentient HERT. *de superioritat. territorial.* pag. 441. & quos ipse KVLPI^S pag. 415-418. citat. Nam usus & ratio judiciorum supremorum imperii introduxerunt regulam: *jus ciuale, in quantum rationes juris patrii non obstant, valet utique in Jurisprudentia principum priuata.* (*1.) Nec ad rem facit, quod non possit locus disertus ex constitutione imperii quadam, hanc regulam recitans, aut ratam esse jubens, proferri. Sufficit enim, vsum, ipsaque

H

ar-

(*1.) Ita inscriptis hoc argumentum GRIEBNER pag. 159. Auct THOMAS. Part. 3. der Grund-Lehren cap. XI. inscribere maluit: vom Recht der Stände, so ferne sie als Haups-Vater, oder in Anschung anderer ihres gleichen betrachtet werden, *cujus juris exempla dein sigillatum ibidem diligentissime recenset.*

argumenta rerum eandem satis corroborare. Atque haec pro illustranda thesi AVITA satis sunt.

(* 2.) Ceterum, an nihil responderi possit GRIEBNERO ad
damna, qua ex mente ipsius jus civile Justinianum prin-
cipibus imperii respectu regalium suorum dederit, forte ali-
bi dicendi locus erit.

XXIII.

Principes & Status imperii vi-
gore juris superioritatis territo-
rialis habent jus exstruendi arcis
& fortalitia, etiam non requisito
Imperatoris consensu, si hoc
fiat defensionis gratia, nec con-
tra vicini priuilegia.

COMMENT.

De jure fortalitia, seu jure munimenta in imperio ex-
stru-

struendi, sequentia apud locupletes auctores obser-
uaui: I.) Olim Seculo XIII. papa plane hic se ingef-
fit. Nam Alexander IV. anno 1257. præfuli Pader-
bornensi concessit *jus exstruendi castra & munitio-
nes in fundo ecclie, prout viderit ipsi expedire.*
Chartam vide apud SCHATEN ad dictum annum.
Quamuis deinde Præful paullo post hoc jus fibi ipsi
tanquam suum adrogauerit, & Warburgensisibus
munitiones construendi fecerit potestatem anno 1260.
pag. 100. apud EVNDEM.

II.) In Constitutione Adolphi ejusdem seculi apud
GOLDASTVM Tom. I. in C. J. pag. 315. ita: *castra
& munitiones factæ in comitatu consensu comitis, aut
præscriptione, tolerentur.*

III.) Seculo XIV. anno 1364. Carolus IV. concessit co-
miti de Wurtenberg: LEICHINGEN zu einer
gemaerten Stadt zu machen, vid. LVNIG. p. 679.
Tom. 5. Part. special. Et anno 1348. Ludouicus Ba-
uarus, Brandenburgensis concessit den Heypeck-
hen um Sicherung willen, weil sie in Feindschaft
waren, jedoch Bayern ohne Schaden, ein Hauss
(Castrum) auf den Ctzobel zu bauen, vide HVND
Tom. I. pag. 220. in Stambuch.

IV.) Sub Sigismundo caussa fortalitorum aliquando
in comitiis discussa, e. c. zwischen der Stadt Cöln vnd
Chur-Pfaltz. Chartam vid. apud GOLDAST. adde
H 2 in

in eundem sensum rescriptum MATTHIÆ ibidem
T. m. 3. in fin. Pro regula enim fere custodiebatur: ne
intra bannum ciuitatum imperii noua castra exstrue-
rentur. vide FRITSCH num. 14. c. 4. de fortalit.

V.) An sine consensu cæsarialis fortalitiae exstruere fas sit
principibus, negarunt fere COLERVS, ARNISÆVS,
STAMLER apud FRITSCH d. l. Adfirmatiua qui-
dem petita responsio fuit ex R. J. de anno 1567. in quo
dicitur: *dass die Festung Grimmenstein ohne Käy-
serlichen consens nicht wieder aufgebauet werden
soll.* Ergo concludunt: prohibitum in exceptione
singulari concessum est in regula.

VI.) In J. P. W. ART. 8. §. gandeant. nominatim ex-
structio munitionum seu castrorum in TERRITO-
RIIS STATVVM fieri debet consensu comitiali &
ejus, cuius est territorium. Quum tamen jus foede-
rum pro conseruatione & securitate concedatur or-
dinibus imperii ibidem, a paritate rationis argue-
runt DD. nostri ad jus statuum fortaliticiorum.

Enimuero VII.) jam clarissimum habemus pro hoc sta-
tuum regali textum in Capitulatione Caroli VI. pag.
46. verbis: *Inmassen dieses (nemlich: Vestungen zu
bauen) allein die LandesHerren, nach denen Reichs-
Satzungeu in ihren territoriis zu thun, befugt und
berechtiget seynd.* Caurelæ tamen loco suadet
HERT. petere consensum cæfareum. Nam sub
præ-

prætextu, quod munitio non sit facta (vt tamen AVVS hic requirit & res est) defensionis gratia, nec saluis aliorum priuilegiis facile alioquin metuendæ sunt lites.

XXIV.

Princeps & dominus territ-
rii in extenuendis propugnaculis
vel fossis dilatandis potest ob pu-
blicam necessitatem subditorum
agros destruere.

COMMENT.

Ratio hujus thesis est, quod principes non tantum ha-
beant imperium in suorum subditorum actiones,
sed quoque dominium eminens in eorundem bona,
neutrum tamen ultra quam publica necessitas, & con-
seruatio salutis publicæ requirunt.

H 3

XXV.

XXV.

Princeps imperii vi armata
subditos inobedientes refracta-
rios ac contumaces ad officium
redigere potest, nec in Came-
ra Imperiali vel aula Cæsaris
mandata auocatoria jure contra
hunc decernuntur.

COMMENT.

Textus huc pertinentes sunt: R. J. de anno 1654. §. 105, art.
III. 18. capit. Leopoldi, art. VII. capit. Josephi, art. XV.
capit. Caroli VI. & ad hos commentarii DD. CON-
RINGII, MAVRITII, NITSCHII, ZECHII. Venti-
lata nuper est hæc quæstio sat prolixæ in caufsa Me-
gapolitana, vide gründliche Wiederlegung der Fürst-
lichen Mecklenburgischen höchſt-nöthigen Anzeige,
scilicet ordines prouinciales Megapolitani obserua-
runt: Jus vi bellicæ subditos in ordinem redigendi li-
mi-

mitari: nisi subditi & status prouinciales, jam rem
detulerint ad judicia imperii, nec enim principi in
juribus cum subditis litigiosis via facti procedere,
illosque milite & armis ad quænis imperatafacienda
cogere fas esse, vid. p. 18. der gründlichen Wieder-
legung. Ergo juri, de quo AVVS hic, locus tan-
tum est: wenn sich die Vnterthanen wieder die ge-
wöhnliche vnd kundbare Landes-præstanta setzen.
Nam hic non audiri debent statim in aula cæsarea,
quos princeps suus per vim in ordinem redigere ten-
tat, sed rescribendum est antea ad status, vt litteras
informatorias Cæsari transmittant, de quibus
RHET Vol. 2. in diss. 23. per tot. & textus juris no-
stri initio laudati.

XXVI.

Princeps potest in nonnul-
lis casibus delinquenti gratiam
facere, etiam contradicente
parte læsa, si hæc ad publicam
vin-

vindictam agat, secus si agat ad priuatum interesse.

COMMENT.

Imo, cum supra thesi 12. adsertum fuit, principem adgratiare posse plane in homicidio, in genere adserere licebit, principem non in NONVLLIS tantum speciebus, sed in omnibus, delinquenti gratiam respectu pœnæ publicæ, certe: ORDINARIÆ facere posse. Quamuis forte AVVM non habeamus contradicentem; qui vero, similiter per verba: in NONVLLIS casibus, id monere tantum voluit, ne promiscue a principe omni tempore, in omni delicto, sine consideratione personæ delinquentis non habita salutis publicæ ratione, hæc gratia exerceatur.

XXVII.

Jus primogenituræ, quod multæ illustres familiæ obseruant,

want, non repugnat juri natu-
rali, nec diuino.

COMMENT.

Scriptores juris primogenituræ sunt vterq[ue] MOLI-
NA, SAA, PELAEZ, CERIER, COVARRVVIAS,
a COSTA, HOTOMANNVS, TAVRISTÆ, JA-
COB. THOMASIVS, LVDOLPH. VOIT a Saltz-
burg *dissertat.* de emolumentis territ. *in primis Ger-*
mania ex succeſſione primogenituræ; BETSIVS
c. 8. *de statut. paet. famil. illuſtr.* GOLDAST *in Se-*
niore L. II. c. 1. 2. 3. c. 14. 15. 16. 17. 18. ENGEL-
BRECHT. *de succesſ. in elect. ex jure primogen. p.*
679. *seqq. in nucleo Giess.* GROT. II. 7. §. II. 12.
PVFEND. L. II. c. 2. §. 5. *De vſu apud Ebraeos*
SELDEN. *de succesſ. VITRINGA L. II. cap. 2. 3.*
Tom. I. Obseruat.

II. Originis historice prima vestigia fibi deprehende-
re visi sunt DD. *'Geneſ. vers. 7. & IV. quasi Cain*
primogenitus, si bene egisset. dignitatem & in fra-
trem imperium obtinuisse, vt versiculum hunc redi-
dunt VATABLVS, FAGIVS, GROTIUS, CLE-
RICVS. Clarius res patet ex gestis inter Esauum
& Jacobum circa venditionem primogenituræ c.
XXV. & ultimo elogio Jacobi c. 49. v. 3. *ibid. Ex*
hi-

historia profana regulariter testis producitur HERODO^IVS, cui ENGELBRECHT comites ad-didit: JVSTINVM, LIVIVM, POLYBIVM p. 685. d. l. Ast jura primogeniturae principum nostrorum proprius repetit SCHILTER. *tr. de parag. & apanag.* ex historia FRANCORVM p. 6. Alias testis est TACIT. de M. G. heredes quondam parentum suos fuisse liberos, nihil de primogenito. Et filiis tamen prælatum fuisse in successione fortior-rem c. XXXII. d. l. Nominatim in Flandria diu successorem e filiis designauit parens, v. SCHAFF-NAB. p. 182. *apud* PISTOR. p. 392. *& apud* SCHAR-DIVM.

III.) An primogenitura juris naturæ & gentium? Respondeatur: si pro lege sumitur non esse, nec enim hoc jure primogenitura plane præcipitur, nec primogenitus ex eo, quod casu ante fratres natus est, jus proprie dictum præ his sibi arrogare potest, vt recte PVFEND. d. l. Decorum tamen jubet, vt inter socios commodus hic ordo seruetur, vt se in-vicem sequantur, prout quisque in societatem ve-nit, nec aliter inter fratres. Nec aliter fere, si præ-cedentiae quæstio inter æquales agitur & ad judicem defertur, ab hoc judicari potest, vid. GROT. II. 5. 21. Si vero jus gentium mores gentium notat, uti-que dicendum est, primogeniti successionem e jure gentium est, testes laudanimus locupletes HERO-DOTVM aliasque. Hic enim non tantum come-ni-

nientissimum existimat: primogenitum regno potiri, sed si secus alicubi obtinet, ejusmodi contrario instituto jus gentium violari credit. Nec adeo male, si principium supponas: regna successiva indubtis perfistere debere. Nam licet & hic arbitrio populi, aut patris, electio inter filios relinqui possit, aut natu minimus plane in perpetuum successor designari queat, nemo non tamen videt, nec arbitrium illud controversiis & incommodis carere, nec melius in ciuitate agi, vbi natu minimus succedit, nec hanc successionem æque ordini naturalis ætatis, vti quidem primogeniti successionem conuenire.

IV.) Quæ vero continere debeat jus primogenituræ, lex cuiusvis ciuitatis definit, quibus & consuetudines pactaque jungimus. Vti enim ipsum hoc jus non a sola natura, sed a LEGE ciuili scilicet deducitur, vid. ENGELBR. p. 683, ita nec aptius, quam ex eodem fonte hauriuntur ejusdem accessoria.

V.) Addit cetera ENGELBRECHT ex aliis p. 684. hoc jus esse immutabile, nullo tempore, nulla ratione primogenito adimi posse, nec pacificando, nec testando, ne quidem renunciando, conf. LVNIG p. 609, *script. illustr.* Enim uero nihil magis secundum naturam est, quam vt, quod lege ciuitatis, pacto, præscriptione, testamento constituitur, his omnibus vicissim tollatur. Illud certum, primogenito

semel nato, ut nemini, ita nec ipsi jus semel quæsitum sine justissima caussa auferri posse. Nec ab alio id fieri posse, quam, qui idem constituit, vel penes quem jus est ob delictum vita, membro, aut bonis multare delinquentem. Regulariter testamentum patris hic, si lex fundamentalis primogenituram introduxit, non sufficit, ast sufficit omnino, v. c. renunciatio filii, vid. DALNER c. 6. n. 40. de re nunc. Juri enim pro facultate morali sumto, ni aliud obstat, omnino renunciare licet. conf. GOL- DAST. d. l. p. 240.

VI.) Quod olim aliquando creditum fuerit jūs primogenituræ juri diuino, aut naturali aliquatenus repugnare, vt quondam putarunt Dux Saxoniæ Joann Wilhelm, de quo SPRENGER d. S. M. n. 79. & ipse DV FRESNE verbo: apanag: versic. & sane, id nescio, an hodienum quis serio detendat, & verisime rejectum est ab AVO. Repugnant sane historiasacra, & fana regnorum politica, quam sequuntur A. B. tit. VII. §. 2. & certe quod indiuisibilitatem feudorum imperii attinet: II. F. 55. Ceterum de elogiis primogenituræ vid. LVNIG Script, illuſtr. p. 623. seqq. & VOLT a Saltzburg. d. l.

XXVIII. Hoc jus primogenituræ a Prin-

Principe patre in filium ipso momento, quo nascitur, transmititur. Hinc pater per testamentariam dispositionem filio primogenito illud jus auferre nequit.

COMMENT.

Nihil verius est dictis hic, jus primogeniturae ipso natuitatis momento a patre in filium, qui primus ipsi nascitur, transmitti, vid. GOLDAST. *de Senior.* p. 260. LIMNÆVS ad tit. 7. §. 2. A. B. obseru. 3. Debetur enim primogenitura naturae primæque natuitati. Imo cum nascendus pro jam nato habeatur, vel sola conceptio sufficit ad jus primogeniturae consequendum. Sufficitque inter gemellos, vel ad momentum ante alterum in mundum prodiisse, vid. quos citat KLEIN. *de primogen. dub.* p. 837. n. 4. Nec obstat, primogenitum ante patris adeptam dignitatem natum esse, & dein aliud post dignitatem natum esse, cum primogenitura naturae opus sit, vid. COLER *de jur. imper. Sect. 52.* BESOLD. *de*

success. regn. L. I. diff. 7. n. 1. vtut multi olim proce-
res in Germania Henricum filium Henrici Anceps
secundo genitum Ottoni primogenito ideo præferri
cuperent, quod natus hic esset, patre regno nondum
potito; LVITPRAND. L. IV. c. 7. 8. vicit enim ni-
hilominus plurium rectius sentientium suffragium.

II.) Porro dubio caret, jus primogenituræ patris te-
stamento filio non auferri, cum non tam a patre,
quam a lege & natura filio quæsumum sit, vid. EN-
GELBR. d. I. Aliud dicendum, si pater primus
auctor esset hujus juris, & filius paterno beneficio
indignum se exhibuisset.

XXIX.

In prouinciis, vbi primoge-
nitura viget, primogenito etiam
cedunt omnia prouinciaræ acce-
soria. E contra vero tenetur ex
omni obligatione ac ære alieno

a

a prædecessore sub nomine dignitatis contracto.

COMMENT.

Primogenito prouinciam cum accessoriis, vt & omnem apparatum, quo tempore pacis & belli dignitatem & splendorem suum tuerit, scilicet armamentaria, tormenta, vasalia aurea & argentea majora, quibus aula se præcipue diebus solemniis exhibet, cedere, probabiliter quidem in genere afferitur. Certior tamen determinatio rerum iuriumque primogenituræ a lege & consuetudine ciuitatis, aut principatus arcessitur. Nam nec v. c. A. B. c. VII. §. 2. & XXV. §. 2. 3. 4. patri electori interdicit, bona, QVÆ IPSE ADQVISIVIT, pro lubitu inter filios diuidere. Nec usus imperii olim eidem obstat, quo minus in testamentis secundogenitis partem prouinciaæ destinaret; vid. Testament. Brandenburg. Alberti Friderici apud SPRINGFELD. c. III. n. CXI seqq. & Saxonum Joann Georg. I. apud STRYCK ad calc. cauel. testamenti. cf. LVDEWIG. ad A. B. Tom. I. p. 693.

II.) Cumque ad primogenitum redeat successionis comodum, redit quoque ad eundem soluendi æris alieni incommodum. Circa quod thema plura unde-

de quaque conduxit LVDEWIG spissa *diff. de obligat. success. in feud.* Sane veteri Germanorum jure pater, quæ bona alienare non poterat, nec ære alieno onerabat, vnde cum in fundis auitis ipsius dispositio exularet, filius tantum soluebat debita ipso non consentiente contracta, *so weit die mobilien reichten*, L. i. art. VI. Spec. SAX. Nec aliter hodie num apud ordinem equestrem imperii in superiori Germania, teste MEIERO *in jure feudal.* Verum cum lex longobardica, vt filius allodium a feudo separet, noluerit, per indirectum ipsum æri alieno paterno vbique fere subjecit. Agnati autem illustres ex allodio defuncti debita expungunt, vid. STRVV. *de allod. 673. de allod. imper.* Allodium enim indominium fere principis regentis transiit post sepultam veterem juris germanici de auitis bonis doctrinam. Consuli nouiter potest posteritati per fideicommissa familiæ, quæ alienationi obicem ponunt. Ceterum non sine causa AVVS debitorum: sub nomine dignitatis contractorum meminit, exclusis scilicet illis, quæ aliis luxus instrumentis clam promissa, post mortem reliqua debentur.

XXX.

Primogenitus tamen reliquis fra-

fratribus ex ducatu vel comitatu
pro modo & facultate reddituum
condecentem prouisionem vel
in pecunia numerata, vel certa
portione feudi regalis, ac soro-
ribus illustribus certam dotem
ad signare obligatur.

COMMENT.

De æquitate obligationis, quod primogenitus princeps
teneatur fratribus ad alendum, sororibus ad dotan-
dum, vid. GROT. L. 2. c. 7. §. 12. PVFEND. L. 4.
c. II. §. 8. HVBER. in jure ciuit. p. 274. RHET.
in diss. juris publ. 363. Dicuntur haec alimenta: A-
PANAGIVM, DEPVATATVM, vid. SCHILT. de
paragio & apanagio, PORTIO ALIMENTARIA,
vid. RHET. de portione aliment. Originem fana
ratio refert ad originem indiuisibilitatis regnorum
ac principatum & ipsius primogenituræ. Nam po-
sitis his sua sponte secuta est respectu fratris solius
regentis obligatio fratribus reliquis & sororibus de
su-

K

25

sustentatione & dote prospiciendi, SPRINGSFELD c. 4. n. 16. 17. Ita quoque DV FRESNE verbo: apanagium: vbi etiam exempla refert seculi XII. XIII. apanagiorum. Enim uero talia exempla ut & ipsa dicta indiuisibilitas longe antiquiora sunt. Qualitas & quantitas apanagii, an tantum in pensione pecunaria annua, an in adsignatione prædiorum sub certa lege consistere, quantique redditus apanagiales esse debent, dependet a consuetudine, lege provinciali, & his defientibus ab æquo primogeniti arbitrio. Vterque cetera apanagium dandi modus, certam pecuniam soluendi, aut annuos prædiorum redditus concedendi jam diu in usu fuit, ut de comitatibus: Marcano, Waldeccensi, docet LEWOLDVS de Northof p. 381. 386. & de comitatu Lippiaco alibi demonstrauit Dn. PRÆSES. De ducatu Clienti extat diploma ducis Adolphi ejusdem argumenti apud Teschenmacher, ex edit. DI THMARI in cod. diplom. conf. SCHILTER pag. 8. d. l. Consistit apanagium in prouisione ad viatum. Finis olim erat, vt secundogeniti ingenium excitaretur, ut in usum melioris fortunæ, aut militiam eligeret, aut clericatum, DV FRESNE. Continet apanagium jus reale, & ad heredes transitorium. Licet usus fructus aliquando dicatur. HERT. p. 101. de comment. distinct. inter parag. & apan. certe in linea recta HEREDITARIVM apud Gallos dicit: DV FRESNE d. l. Vnde errat SCHILTER p. 22. d. l quod hic in alia omnia abeat p. 22. d. l. Nec enim

enim apanagium jus PERSONALE dicere licet, cum plane liberi hominum priorum jus radicatum habeant *an der leibeigenen Stütte*, quam frater senior, *der Anerbe* dictus, solitus occupat, ut nuper responsum Ostiabrugam ad officialem, ab ordine jurid. h. adde his edictum Ernesti Augusti de anno 1682. pag. 72. *der O. E. O.* Ergo multo magis illustribus & e principe natis ejusmodi iustribuendum est, quod non cum vita finiatur, ut alias alimenta, licet vſusfructus dicatur. Nam vocabulum: vſusfructus ciuili-ter hic accipendum est, ut alias apud Feudistas & Germanos, quibus ſæpe ad hæredes transit. Illud ex vero tradit SCHILTER, quod apanagiatus non habeat jus de apanagio testandi, aut jus ad crescendi reſpetu ſuæ portionis, pag. 23. *ibid.* Et quamvis jus apanagiati variet secundum apanagii modum, & ve- luti gradus, ex quibus SCHILTER distinctionem in- ter paragium & apanagium confecit: minimum tamen regimen & jurisdictione superior in apanagio ſalua manent primogenito, ut ex formulis apanagiorum jam olim conſtat, vid. NORTHOFF. *d. l.* & te- ſtamentum Simonis VI. Lippiaci apud LVNIG in R. A. Nihilominus ipsius apanagiati principis per- ſona exempta est a primogeniti jurisdictione, habet- que forum ſuum: judicia imperialia, pag. 23. SCHIL- TER. Dissentit COCCEJVS in *jure publico* p. 454. *in fine.* Alias eminentia primogeniti & in eo con- ſpicitur, quod pro ſe retineat regulam: quotiescumque de jure aliquo controuersia eft, probatio in-

cumbit apanagiato. Nam hict tantum habet, quantum ipsi primogenitus concessit. Titulis autem, insignibus & dignitate illustris domus apanagiatus vtitur cum primogenito. COCCEJVS pag. 455. *jur. publ.* Porro extinguitur apanagium varia ratione, v. c. delicto; reliquos modos finiendi vide apud SPRINGSFELD. c. 13. n. 26. seqq. Tandem casibus illustribus practicis doctrinam apanagiorum illustrat SCHILTER *d. diff.*

XXXI.

In hac vero portione feudi
jurisdictio territorialis primoge-
nito integra manet.

COMMENT.

Fluit thesis e jure primogenituræ etiam moderatae. Vnde & quondam formula in comitatibus Cluensi, Lippiaco, Marcano & Waldeccensi: comitatum habere debere VNVM DOMINVM regentem, VNI præfari homagium, supremam justitiæ curiam dirigi ab VNO, jus belli, legum & sublimiorum re-

regalium, mittendi legatos auf die Reichs - vnd
Cräyss - Tage exerceri ab VNO, adde cap. XI.
SPRINGSFELD. COCCEJ. §. 15. 454. jur. publ.
Nominatim in domo ANHALTINA disceptatum
recordamur, an apanagiatus possit exercere jura
SENIORATVS in domo visitati, vid. scriptum in
vtramque partem p. 850. apud LVNIG *in jur. feu-*
dal. Tom. I. Potiores sunt rationes negatiæ, cum
seniori regulariter quædam species directorii inter
reliquos principes plane regentes competat, cuius
splendor & eminentia, non satis cadunt in apana-
giatum.

XXXII.

In Apanagio locum non ha-
bet jus primogenituræ, nisi ob-
seruantia familiæ aut pacta aliud
jubeant.

COMMENT.

Consentient MYLER c. XXII. §. 6. *de princ. imp.*
COCCEJVS *in jur. publ.* p. 454.

K 3

XXXIII.

XXXIII.

Nouissima Imperii Constitu-
tio, qua debitoribus belli cala-
mitate ad inopiam redactis ali-
qualis remissio est concessa, na-
turali æquitate nititur.

COMMENT.

Pertinent huc textus §. *de indaganda* Art. VIII. J. P. W. R. J. 1654. §. 170. seqq. Consilium BIDEMBA-CHII cameræ, judicij aulici: nec non *das Reichs Gutachten*, votum Guelpherbytanum LAMPADII recitant LONDORPIVS Tom. VII. HAHNIVS in *Comment. ad §. de indaganda* ex editione EICHE-LII, apud quem etiam habentur constitutio Holstica, cuius mentio fit in ipso J. P. W. d. l. Notus alias est MEVII liber: de leuaminibus inopum debitorum, cui jungi potest: asylum creditorum KAY-SERI. Ante ipsum J. P. W. & R. J. 1654. præ ceteris causam debitorum egit MANZIVS in *patrocinio debitorum calamitate belli depauperatorum* INGOL-STA-

STADII 1641. 2.) in præludio belli civilis, inter rigorosos creditores & calamitosos debitores super censibus & pensionibus præteriorum annorum, ibid. 1642. 3.) in libro, cuius titulus prolixior: de bello ciuili inter rigorosos creditores & miserios debitores conflictus primarius super censibus & pensionibus præteriorum annorum, vtrum videlicet jure vel æquitate inspecta census miseris hisce belli temporibus decursi debeantur, & an non per sanctionem pragmaticam imperialem nouo edicto & statuto possint remitti, ibid. 1645.

XXXIV.

Jus capiendi feras bestias a Principe iuste prohiberi potest.

COMMENT.

Arenam hanc satis instruant: *Corpus juris venatorum* FRITSCHII, auctius editum a STRYCKIO, BILDERBECK, LVBBE scriptis suis in majori forma de regali venandi jure editis, hoc pro principe, illo pro nobilibus cauillam perorante. Praecessit hos, si

si historiam juris germanici respicis, PRÆSES c. II.
de jur. agric. Ceterum in classificatione peccantium
 variorum FRITSC^HANA: venator peccans sub-
 sellium occupat singulare. De justitia poenarum,
 quæ vel corporis cruciatum, vel ultimum suppli-
 cium (* 1.) ferarum furibus inferunt, quorundam du-
 bitarunt JCti summæ existimationis & graues
 SCHNEIDEWIN, WESENBECIVS, THO-
 MING, vid. GRANZ ll. 379. 380. Vicissim ad con-
 stitutiones principum quorundam rem æstimo-
 nando facile atrocitatem poenæ tuetur LVBBE p. 32. seqq.
d. l. Circa talia aliter respondet JCtus, si quæstio
 de applicanda poena secundum legem latam, aliter,
 si quæstio de noua poenali lege ferenda consultus.
 (* 2.) An damnum a feris subditis datum restituendu-

(* 1.) Refringit capitalem SCHMID, cit. loc. ad tres casus: 1.) si
 seripeta officialibus principis insidiatur, vel 2.) minatur iis-
 dem, vel 3.) incorrigibilis sit, & manifestus editiorum
 principis contemtor. Quamuis nec his casibus rigore juris
 vii sine principes Baucrorum. Plane crudeliores poenas fe-
 ripetarum, vt: oculorum effosionem, FELONIAM
 etiam vafali respectu principis imperii continere contendit
 Rex Ferdin. I. contra Principem Wurtebergensem, vid.
 LVNIG script. illustr. p. 926, ubi principis responso.

(* 2.) Scilicet hic scrupulum isti injicit meditatio, quod venatio-
 nes fere pertineant ad oblectationes & delicias principum,
 quod venationum nulla in prouinciis germanicis penuria,
 sed maxima abundantia, quod non sequatur: seripeta
 sumendi, ergo plane ultimo supplicio affici debent.

dum a principe? putauit MAVRITIVS elector, vt
 constat ex testamento ipsius apud HORTLEDER,
 & ex eo apud LVNIG part. special. sub: Sachsen.
 SCHMIDIVS, apud Bauaros quondam minister &
 cancellarius, in eundem sensum, quod princeps ad
 restitutionem damni ruricolis teneatur, *Tom. I. ad jus
 Bauar. Semicent. II. Controvers. VIII.* differere vide-
 tur, siue damnum datum ab ipso principe, ejus ca-
 nibus, equis, curribus venaticis, numeroſo ſatelli-
 tio, retium extenſione in venatione ſolemni, quæ
 cum magno apparatu fit, siue feræ quotidie ad vi-
 etum in ruricolarum agros ſua ſponte excuſerint,
 ſegetes depauerint, aut porci ferini prata miferorum
 ſuffodierint. Consentit adductis Theologis & Jctis
 FRITSCH conel. VIII. *in venat. peccant.* Existimat
 tamen SCHMIDT d. l. limitari obligationem principi-
 pis hic, vt cefſet, 1.) ſi ſubditis præceperit fundos
 ſuos ſepimentis munire, 2.) canes alere, & hi præ-
 ceptis non paruerint, 3.) ſi multiplicatis feris cu-
 ret, vt per venatores numerus diminuatur. Alias
 idem auctor ibid. *controvers. VIII.* plura adhuc quæ-
 rit & ſoluit: an princeps venando ſubditis iniuitis,
 ſi ſe ad reſtitutionem offert, damnum dare & illo-
 rum ſegetes perdere poſſit, 4.) an ruſtici tempore
 messis poſſint ad angarias & operas venatoribus
 præſtandas per vim cogi, 5.) an ruſticiſ imperari
 poſſit, vt tempore venationis cuſtodes agrorum abi-
 gant, vel filere jubeant, 6.) an imperare poſſit, vt
 fepeſe conſtruant hinc inde hianteſ, 7.) an retia in

L

ruri-

ruricolarum agris segete nondum collecta tendere
de jure principes possint.

XXXV.

Religio in quantum est opus
intellectus, imperio humano non
subjacet: in quantum vero est
opus voluntatis, omnino legibus
vinciri potest:

COMMENT.

Intellectum, ut alias in suis actibus: ita nec in cogitationibus de Deo, ut rem aliter credit, quam eandem concepit, cogi posse, in confessio est. Certum quoque est, ridiculum esse inquisitorum haereticae prauitatis assertum: die Ketzer irreten wissenschaftlich vnd mutwillig. Nam reuera implicat contradictionem: aliquid simul reuera intelligere & scire, & tamen simul circa idem data opera errare velle. Illud fieri potest, ut quis contra scientiam & conscientiam

tiam coram aliud se credere, ac interne persuasus est, simulet: vt autem in ipso suo intellectu simul, si ita velit, errare & simul verum scire possit, impossibile est. Commentum hoc tantum inuenierunt inquisitores hispanici, vt aliis crimen hæreseos objectum magis exaggerare queant, vel vt malitia & criminis eos, qui se conuictos esse jure suo negant, reos facere possint. Vnde concludimus: si intellectus nec in vero concipiendo, nec credendo libere agit, si dein quoque in falso & aberrando pariter libere non agit; sequitur: neminem scientem volentem errare posse, nec religionem, in quantum est opus intellectus, civili imperio subjacere. Quod voluntatis actiones autem & cultum externum attinet, verum quidem est, majoris mali, aut boni ostensione homines quidem ad actum externum exercendum ab imperio civili cogi posse. Interim vterius circa usum hujus coactionis videndum, quid obster ageare nolenti. Nam si rationes conscientiae illi obstant, non debet cogi. Si autem non conscientiae, sed v. c. ignaviae, inobedientiae rationes tantum obstant, coactio licita est. Vnde v. c. ad frequentandum templum Christianum Judæus cogi non debet, Christianam religionem vero professum, quem tantum ignavia, crapulæ, epule, templum frequentare impediunt, cogere licet. De coactione civili jureque imprudentium gentilium, & Christianorum in religionem ciuium suorum vid. §. 5. 6. 8. 39. 40. 44. 49. PVFEND. de habit. relig. ibique a Dn. PRÆSIDE adnotata.

XXXVI.

Jus Justinianeum priuatum
consensu saltem tacito Impera-
torum & Statuum Imperii initio
seculi XV. in foro Imperii Ger-
manici & Scholas Germanicas
propter singularem prudentiam
& naturalem æquitatem sensim
receptum est, deinde vero ex-
presso ab Imperatoribus & Stati-
bus adprobatum.

COMMENT.

Latinus hanc thesin AVITAM explicuit, adseruit, vin-
dicauit Dn. PRÆSES *in proleg. Specim. §. XXI-*
XLVIII.

XXXVII.

XXXVII.

In Jure Justinianeo nulla datur lex, quæ juri naturali sit contraria.

COMMENT.

icebit hic nobis frui beneficio regulæ: *adfirmanti in-cumbit probatio, non neganti.* Item aliud regulæ juris: *probare debet ille, qui facilius probare potest.* Atqui, qui dicit, in corpore juris haberí quædam juri naturæ contradicentia, vel vnico exemplo in medium producto probatoque facilius thesin suam probare potest, quam nos thesin AVI negatiuam, pro qua probanda exacta perlustratione integri corporis juris opus foret. Præsumatur itaque corpus juris bonum & cum jure naturæ concordans, donec ab opponentibus contrarium probetur. Non obstat L. 6. ff. de J. & J. de qua HERT. T. I. p. 161. seqq.

XXXVIII.

In iis, quæ respiciunt formam

L 3

&

& quæ ad decisionem caußæ per-
tinent, si illa ex ipso contractu
orientur, respicitur regulariter
locus contractus, nulla habita
consideratione, vbi contrahen-
tes domicilium habeant, vel
quo in loco actio ex contractu
instituatur, vel in quem locum
solutio sit collata.

COMMENT.

De concurrentia diuersorum fororum potissimum me-
riti sunt, qui de jure conjugum præcipue respectu
communionis bonorum scripserunt, WESSEL,
RODENBURG, item BVRGVNDVS, ad consuetudines Flandriæ, HERT. de collisione Lt. ZOLL
de præferentia statutorum. Regula AVI hic tradita
est etiam HERTII §. X. p. 179. d. l. apud quem plu-
ra vid. & §. LIII. ad LIX. ibid. An in foro contra-
etus

Etus petenda restitutio in integrum contra contr*et*
Etum? negant plerique. Vid. LAVTERB. Coll.
Maj. tit. de judic. adfirmant FRANZKIVS, MAR-
TIN. vid. hunc ad tit. XI. process. Sax. §. II. n. 129.
distinguit HERT. §. LXVI. id. l. qui sequendus
videtur.

XXXIX.

Quando creditor solutionem
in debitoris arbitrium confert,
dass die Gelder bey dem Schuldner bis zu
seiner guten Gelegenheit, oder so lange
es ihm gefällig, bestehen bleiben sollen,
debitor ex tali clausula tutus erit,
quamdiu viuit, ita ut ad solu-
tionem compelli non possit.

COMMENT.

Hic confer. LYNCK. dissert. de beneplacito. SA-
BELLI in summa diuers. tractat. §. beneplacitum.
BAR-

BARBOSA in Thes. verb. eod. REYGER in thesaur. verb. eod. qui citat PAVLL. FVSCVM in singular. Tit 13. WEHNER sub rubr. auf Wohlgefallen, item rubr. Wohlhab. Sedes significationis formularum: ad beneplacitum, wann es beliebig, wann es gefällig &c. elt in L. 4. ff. Locat. & cap. si gratiose, X. de rescr. in sexto, vid. utriusque glossam. Sensus ubique exponitur, quod finiatur morte ejus, qui aliquid concessit, vel cui aliquid sub hac formula, quamdiu placeat ipsi, concessum. Quodsi tamen papæ beneplacitum non suæ personæ, sed sedi apostolicæ, quamdiu huic placeat, adjectum, non finitur morte papæ concedentis, sed durat concessum, usque dum successor in sede reuocat d. c. si gratiose. Idem dic, si princeps non de sua persona, sed ita locutus: so lange es dem Landes-Herrn beliebig, gefällig. Pertinet huc etiam regula, quæ colligitur ex L. 69. de C. & Demonstrat. verba: SI VVLT, SI PLACET, PERSONÆ adjecta censemur. Licet autem expositio formularum AVI satis recte se habeat, & utriusque juris textibus corroboretur, nihilominus ut omnia temperat æquitas, ita & hic eidem locus est. Finge enim a creditore opulento & beatiore in fauorem debitoris adjectum: bis zu seiner guten Gelegenheit, vel: so lange es ihm gefällig, contingere autem calamitate publica, creditoris opes perire & illum valde egere æris, quis negabit, regulas hic occurtere: omnia intelligenda sunt: REBV SIC STANTIBVS, de qua GROT. II. XVI. 25. RHET.

RHET. Vol. II. disp. vlt. BARBOS. thesaur. 217. §. 62.
item: *bene ordinata caritas incipit a se ipsa.* Vnde
est, quod non tantum commodans, sed plane lo-
cator, rem, si subito illa egere incipiunt, repeteret
possint a conductore, vel commodatario. Imo ali-
quando natura rei suadet, ut verba: *si placuerit, vel*
si non placuerit, breuius finiantur, v. c. si res ita ve-
nierit, ut, si non placuerit, redhibeatur, emtor in-
tra LX. dies redhibere debet, L. 31. §. 22. de Ædil.
Edict.

XL.

Illa conuentio, qua oues &
vaccæ ferreæ certo pretio æsti-
matæ vna cum prædio alteri lo-
cari solent, ita ut creditor earum
periculum præstet, & quotan-
nis certam quantitatem butyri
vel casei soluat, quæ Conuen-

M tio

tio Socidæ ab Italîs adpellatur,
non est injusta.

COMMENT.

Dicitur hæc conuentio : *socida*, de qua TABOR,
LYNCKER in dissertation. Injusta esse nequit,
quia inter partes ita placuit, nulla lege prohibitiua
existente, ergo hic obtinet illud tritum: VOLEN-
TI NON FIT INJURIA.

XLI.

Anatocismus quidem jure na-
turali non est prohibitus, jure ta-
men Romanorum vetitus, quo
multa alia recte sunt prohibita,
quæ jure naturæ sunt licita.

OB COMMENT.

COMMENT.

Anatocismi vox composita non occurrit apud BVDD. in Lexic. græc. sed simplex tantum: *tocismus* seu foeneratio, vtitur tamen bis composito apud Latinos CICERO L. V. epist. vlt. Historiam criminis apud Romanos recitat NOODT c. XI. de usur. p. 195. T. m. I. Distinctiohem in conjunctum & separatum expeditunt compendia ad ff. tit. de usur. adde hic L. 29. C. de usur. ibique DD. Quod jure naturali non prohibitus anatocismus, colligi potest ex dictis ad thes. IX. supr. Sunt, qui dicunt, Romanos tantum usurpas usurarum prohibuisse, ne accessionis accessio detur, & excessum alterius tanti, ne accessorum supereret principale, ita sane glossatores, vt BARTOL. ad L. 15. de usur. ipse NOODT d. tr. Enimuero nil hujus rei in contextibus juris nostri inuenio, sed tantum: *modum in usuris præscriptum seruandum esse*, v. L. 26. pr. de condit. indeb. Præscriptus vero sine dubio fuit modus non ex rationibus metaphysicis de accessorio & principali, sed nititur ratione bonæ POLITIÆ, ne mole usurarum cumuloque plebs opprimeretur. Licet secundario ad *modum usurarum* clare, certe & veluti in puncto determinandum in efformatione duarum regularium: 1) ne ultra alterum tantum usuræ adseen-derent, 2) ne usuræ usurarum vlo modo solueren-ter, vt tandem JVSTINIANVS in Tit. Cod. de usur. definiuit, de metaphysicis principiis & relatione accessoriis ad principale præter respectum ad genuinæ poli-

politice fundamenta, simul forte fuerit cogitatum.
Alias interdum, si ipsa debitoris utilitas ita suader,
vsuras in nouam fortem, ut ante Justinianum fas
erat, vid. NOODT p. 196. d. l. conuertere fas esse
non sine præsente æquitate contendit MEVIVS.
discuss. leuam. inop. debit. cap. 4. n. 30.

XLII.

Possessio in heredem jure
communi sine naturali appre-
hensione non transit, potest ta-
men statuto vel consuetudine in-
troduci, ut ipso jure sine appre-
hensione in heredem transfeat,
quæ consuetudo in Gallia ser-
uatur.

COMMENT.

An possessio jure communi sine apprehensione noua
trans-

transeat in heredes, vetus controuersia est. Adfir-
mant GRATIANVS Tom. II. c. 732. CARCERIVS.
GODOFREDVS ad L. 193. de R. I. PEREZ. de ed.
din.: JOANN. CORAS. L. VI. miscell. c. 12. TI-
RAQVELLVVS in tr. le mort. suisit le vif. idem tue-
tur quidem, sed de jure Gallorum CONSVENTU-
DINARIO Tom. IV. p. 54. declarat. III. Quod dein
extra Galliam de parte Italiae & Belgii, GORIS
267. seqq. aduersar. GVDELIN. p. 105. de jure no-
niss. adffirmant, obtinet & haec possessionis ad here-
des transitio in germania nostra apud COLONIEN-
SES Tit. IX. §. 1. Stat. Colon. Magdeburgenses §. 15.
c. 44. Pol. Ordin. Saxones, vt e L. III. art. 83. Spec.
Sax. colligit SCHILTER §. 14. Exerz. 14. Licet nil
hac de re REINHARD, FACHS, ZOBEL in differenti-
jur. ciu. Sax. moneant. Apud ordinem equestrem
priuilegium Rudolph. II. HERT. I. resp. 96. simile
obtinere refert. Adde jus feud. Saxon. VI. AV-
CTOR. veter. de benefic. §. 24. Ad consuetudinem
communem prouocat hic etiam CARPZ. III. XI. 27.
consuetudinem totius Germaniae laudat LYNCKER
Cent. I. decif. 57. testem citans FABRVM in C. L.
VII. tit. VII. def. 9. n. 5. quod falsum allegatum sine
dubio CARPZOVI debet d. l. nec secundus testis
LYNCKERI, GVDELINVS d. l. de Germania quid-
quam habet. Repetit priora LYNCK. I. resp. CXL.
n. 12. sed sine teste, sine argumento. De jure civili
certissimum est, possessionem ad heredes non ipso
jure transire. L. 23. de A. vel A. P. Qui doctores

M 3

con-

consentientes quærit, adeat ESBACH. ad CARPOZOV. d. l. vbi ampla illorum caterua. COTHMANNVS I. resp. LX. n. 181. heredes testatore vix oculos claudente possessionem occupantes: VVLTVRIOS *possessores* dicit, qui tamen facile excusantur, regula prudentiae: melius esse præuenire, quam præueniri. Ast satis vindiciarum dictorum hic ab AVO.

XLIII.

Possessio licet solo animo non possit adquiri, eo tamen potest conseruari, siue ille actualis sit, siue habitualis, nihil interest.

COMMENT.

Animo & corpore possessionem adquiri, probant textus in L. 13. 20. L. 3. §. 1. ff. de A. A. P. L. 3. 4. 14. C. tit, eod. vid. PAVLLVM recept. sentent. L. V. Tit. I. §. 1. ibique CVJAC. & Spec. Dn. PRÆSID. p. 205. 206. Pluribus AVI thesis adserta est §. 16. 17. 18. p. 45. seqq. in differt. Dn. PRÆSIDIS: *de possess. & iurament.* Adde HVBER. p. 480. n. 4. p. 481. n. 14.

in

in jur. ciuitat. Retentionem solo animo, quan-
diu non spes omnis rem mobilem tangendi, rei im-
mobili infistendi decollauit, fieri posse cum AVO
solide docent HVBER. n. 16. d.l. THOMASIVS con-
tra BYNCKERSHOECK p. 454. *ibid.* plane de gen-
tium jure id. *ibid.*

XLIV.

Paetum de vnione prolium parentibus testandi facultatem non adimit.

COMMENT.

Quondam plane disputatum fuit, an vnio prolium in
vsum futuræ successionis prolium facta de jure va-
leat. Certe GILCKEN, *vid.* librum ipsius de vfu-
capione, anno 1602. Wurtzburgi editum p. 581. n. 21.
seqq. dubitat minimum, nec hoc paecto tolli posse
libertatem testandi n. 223. p. 619. adductis H. PI-
STORIO, GAILIO, MYNSINGERO, rejecta RICKII
contraria opinione docet. Nec obstare, quod mo-
res germanorum a jure romano diuersihic adlegen-
tur,

tur, saepius enim morum nomine nihil aliud, quam temeritatem, aut indoctorum juris inscitiam contineri n. 228. ibid. Nec aliter FICHARDVS, quem laudat J. G. BESOLDVS apud C. BESOLDVM in delibatis juris, p. 123. Ait JCti horum auctorum aetatem secuti, vt. MVSCVLVS membr. 3. p. 60. de success. anom. BETSIVS cap. 5. §. 31. STRYCK de S. A. J. diff. 8. c. 12. n. 29. recentius BEYER in jur. German. L. I. tit. 25. imo & jam diu olim RICKIVS de vniione prol. cap. 10. n. 14. rectius & ad sensum juris german. accommodatius tradunt, pacto semel in vniione prolium definita libertati testandi non sub-jacere, nec testamento, quippe quod infra fidem germanorum datam esse oportet, mutari posse. Nihilominus pactum vnionis prolium, recte monente AVO, non omnem facultatem testandi per se adimit. Nam v. c. pater post vniionem testari adhuc potest: 1.) de in vniione non definitis, 2.) exponere potest in testamento obscurius dicta in vniione, arg. L. 29. de pac. dotal. 3.) potest etiam testamento portiones semifissis suis liberis debitae regere & temperare. Reliqua de hac vniione, v. c. an adficiat ipsorum liberorum bona, quod negat BEYER in fin. d. l. an bona sua parentes post vniionem possint alienare, an liberis his bonis traditis competit conditio ad repetendum, quorum illud affirmatur, hoc negatur; an vnio prolium sine hypothecæ constitutione producat jus in rebus, seu bonis unitis, quod negat RICK. c. 8. non sunt hujus loci, facile tamen e citatis auctoribus discenda.

XLV.

XLV.

Hereditas cum beneficio inuentarii adita de jure ciuili rursus repudiari potest.

COMMENT.

Hæc quæstio pertinet ad jus controuersum, nam hereditatem semel etiam cum beneficio inuentarii aditam denuo repudiari non posse, docet LAVTERB. §. 19. Vol. I. disp. 14. de inuentario p. 20. Nec aliter GIPHAN. ad Inst. motus §. 5. Inst. de hered. qualit. L. 7. §. f. L. 4. & L. fin. C. de repud. vel abst. hered. L. 10. C. de jur. delibera. L. 16. C. ibid. Per additionem enim quasi contrahi cum legatariis hunc quasi contractum neminem mutare posse. *L. nemo potest, de R. J.* sibique imputare debet, qui initio repudiare potuit hereditatem, & tamen temere adiit, RITTERSHVS. ad d. §. 5. Inst. de hered. qualit. & differ. conf. HERT. de effect. inuentar. non confessi Vol. 2. Tom. III. p. 293. qui pariter §. 8. ibid. in fin. fatetur, has negantium rationes præualere. Vicissim cum AVO sentiunt MONTICVLVS, PHANVCIVS de PHANVCIIIS, CARPZOV. dec. illustr. I. 25. 9. BRVNNEM. consil. 41. n. 37. seqq.

N

FRANZ-

FRANZKIVS *Lib. III. resol. 6.* Potissima ratio est, quod secundum jus inuentarium confessum heredem extra omne damnum juris vel facti constituerre debet. Atqui hoc fieri nequit, nisi relicta heredi aditam hereditatem repudiandi libertate. Plane hanc sententiam in foro receptam esse, testantur viri graues, MORNACIVS *ad leg. II. §. fin. de interrog. action.* FRANZKIVS *d. l.* modo heres repudiaturus antea citandos curet creditores, & quorum alias forte interest, nec ex improviso aufugiendo deserat bona hereditaria, HERT. *d. l.* Ergo rete sentit AVVS in theoria & foro. An autem heres post repudiationem nomen heredis retinet? plane refinere existimant BALDVIN. *ad §. 31. Inst. de fideicom. hered.* RITTersh. *ibid.* nomen enim heredis esse perpetuum, licet alii hereditatem restituerit heres. Leg. ei, qui soluendo, in fin. de hered. inst. quia heredis nomen est nomen juris, quod LEGE datur, & LEGE adimitur, iidem duumiri ibidem.

Alias ne heres semel hereditatem cito adeundo in damnum incideret, variis remediis jus commune olim auertere studuit: 1.) ipsi testatores instituebant heredes cum cretione, ut possent intra certos dies a testatore definitos cernere ac decernere, an ipsis heredes fieri expediret, BRISSONIVS *Lib. 7. formul. n. XXV.* Vnde: cernere hereditatem idem est, ac se declarare, quod quis post *cretionem seu animi judicium*

dicum præcedens heres esse velit, vid. SCHVLTING ad VLPIAN. *Ti.* XX. p. 642. Deinde prætor tempus deliberandi suis dedit bonorum possesso-ribus præcipue, quod 100. dies definiuit, *L.* 69. *de A. vel O. H.* Sustulerunt quidem cæsares *in L.* 17. *Cod. de jur. delib.* scrupulofas CRETIONVM so-lemnitates, non simul autem ipsam CRETIONEM, cum certis diebus a testatoribus olim dari solitis. Porro fieri cœpit tempus deliberandi annale *L.* 19. *Cod. b. t.* etiam non petitum. Tandem JVSTINIANVS in *L. f. ibid.* anni concessionem principi reseruauit, judicibus 9. menses indulgere permisit, & in eadem constitutione circa finem præterea beneficium in-uentarii nouiter introduxit.

XLVI.

Pactum renunciatuum, quo futuræ hereditati paternæ siue maternæ renunciatur, jure Canonico & consuetudinario valet,
Vnde filia efficaciter obligatur

N 2 futuræ

futuræ successioni in bonis pa- ternis vel maternis renuncians mediante corporali juramento.

COMMENT.

Obserua: tituli de renunciatione oblii sunt plane ar-
chitecti juris ciuilis nostri. Neque satis instruit le-
torem GRATIANVS Lib. I. tit. 9. de renunc.
quia ibi non omnem renunciationis naturam & in-
dolem persequitur, sed tantummodo in argumeto
beneficiorum, vel vt alias decretalistæ: RESIGNA-
TIONVM hæret & occupatur. Tangit quidem re-
nunciationem successionum BONIFACIVS Lib. 6.
jussu ipsius collecto tit. de renunc. Sed itidem ean-
dem non satis plene exponit. De jure ciuali renun-
ciationes successionum valere, demonstrare voluit
STRYCK diff. 8. de S. A. J. c. 12. num. 38-47. Vi-
cissim rectius mihi negare videntur DALNER c. 12.
GIPHANIVS c. 6. de renunciat. & plerique. Nam
præcipuum rationem hujus negationis, quod scili-
cet jure ciuali hereditas ad jus publicum, quod pri-
uatorum conventionibus tolli non potest, spectet,
STRYCKIVS remouere non valuit, vid. GIPHAN.
p. 41. d. l. Verum quicquid de jure ciuali tandem
fit, rectissime AVVS sequitur papam BONIFACIVM
in

in famoso capitulo: **QVAMVIS X. de pactis in sexto**, de quo textu ex instituto DAVTH. in repetit. ad idem cap. COVARRVV. a p. 305. ad 317. Interim BONIFACIUS non simplicem renunciationem, sed juratam exigit. Tunc enim demum jure ciuili non obstante renunciationem, si juramento munita, valere. Igitur juramentum ex mente papæ formam absoluit, nec proin sufficiunt aliæ formulæ, adsertoriæ, vide KELLENBENZ *quest. 2. 3. de renunc. semini.* Imo licet ex analogia juris germanici, quæ quoduis pactum successorum admittit, cum apud nos hereditatis delatio non habeatur simpliciter pro jure publico priuatorum pactis non vellicando, ut quidem apud Romanos per leg. 3. qui testament. fac. Leg. vlt. de suis & legit. leg. 15. §. 1. ad L. Falcid. non opus sit juramento: nihilominus præualuit hic in foro auctoritas papæ ob differentias juris ciuilis & germanici, nec satis excussas, nec intellectas. Si quidem non cohærent adserta: *pactum successionis adquisitum non requirit juramentum, renunciatiuum autem pactum requirit*, neque forte ipse papa ita distinxisset, si de pacto acquisitiuo æque ac de renunciatiuo quæsitus fuisset. Sed & in adquisitiuo æque ac in renunciatiuo juris jurandi religio nem requisiuisset. Quare fatendum est, forum hic ut philosophia, nec de jure ciuili, nec canonico, nec germanico satis sibi constante.

XLVII.

Si cui legatum sit a testatore
relictum sub hac conditione, si
religionem pontificiam ample-
xus fuerit, conditione licet non
adimpta, legatum nihilominus
debetur.

COMMENT.

AVVS sifit nobis hic exemplum conditionum a religio-
ne desumptarum sequens: Titio si romano-catholico-
cus factus fuerit, 100. do, lego, legatum hoc valere
pronunciat conditione licet non impleta. Consentientem adlegare possumus ALEMANNVM *in pa-
laestra consultat. illustrium anno 1613. edit.* Qui cum
AVO pariter nostri legatarii partes suscipit proque
eo p. 974. respondet; rationes, quas recenset num.
1. 2. 3. 4. *ibid.* e bonitate religionis Lutheranae dedu-
cit, additque, licet juridice turpe non esset, pon-
tificium esse, esse tamen turpe pontificium fieri.
Eodem fere tempore AVCTOR scripti: compositio
pacis,

pacis, quod secunda vice Tubingæ anno 1629. prudiit, cap. 6. qu. 49. plures species hic pertinentes proposuit. Sic I.) docet, testatorem legare posse: vt ne legatarius a fide catholica recedat, nec Luterenismum introducat. Nam licet a religione coactio abesse debeat, etiam secundum nostrarium sententiam; fol. 5. fol. 80. 81. 186. apud AVCTOREM authnomiae, cogitandum hic tamen esse: coactionem conditionali propriæ non cogere, sed relinquere illi, cui præscripta est, eligendi libertatem.

II.) Pergit AVCTOR *compos. pac.* honorato sub conditione, vt ne fidem catholicam amplectatur, nec alios ad eam reducat, legatum pure deberi & conditionem tanquam contra bonos mores, & pietatem adjectam, haberri pro non adjecta.

III.) Honorato autem, vt fidem catholicam amplectatur, legato carendum esse, nisi conditioni pareat. Nam ad bonum fas esse aliquem adlicere bono quodam ipsi ostendo, neque vero si legatur, vt honoratus catholicus fiat hoc sensu legari, quasi contra conscientiam pecuniaæ v. c. se catholicum dicere & simulare debeat, sed vt concilietur ac demulceatur ipsius animus, vt sensim adfuescat pati, sibi religionem cathol. explicari, illam adprehendere, intelligere & dein sua sponte ad illam cordicitus accedere, vt pecunia occasio sit, non finis nouæ religionis, no-
viter conuersi.

Dein:

Dein: IV.) pag. 210. addit: valere etiam pactum hereditarium illustrium, ut si quis catholicorum desierit esse catholicus, a testatore relictā accepta restituat. Nam religionem catholicam semper fuisse habitam pro laudabili.

Vnde V.) speciem non debere inuerti, nec Lutheranum legare posse sub pœna admitionis legati, si heredes ipsius a Lutherana religione recesserint. Nam religionem Lutheranam seu Aug. Confessionis tanquam ferri, nec vñquam tanquam laudabilem adprobatum esse, aut adprobari posse, vid. n. 202. 205. 206. ibidem. Neque cæsarem hic aliter decidere posse n. 212. ibidem. Nominatim cetera JOH. REGVLVS anno 1627. singulari consilio persequitur causam testamenti LVDOVICI HASSIACI, qui LVDOVICVM & MAVRITIVM heredes esse jusserrat sub conditione, *dass sie die Augsburgische Confession beybehalten oder einführen solten.* Testamentum ipsum vid. in actis Hassiacis sub rubro der Marburgischen Successions-Aeten, anno 1615. Gießæ editis sub A. Cum itaque MAVRITIVS ad reformatorum sacra transiisset, lis oriebatur inter ipsum & LVDOVICVM de violatione & transgressione conditionis a testatore adscriptæ. Judicabatur quidem anno 1673. sententia imperiali pro testamento, & adscriptæ conditionis validitate, adeoque pro LVDOVICO contra MAVRITIVM, sed dein res amice compōsita est anno 1649. ERNESTO PLO Saxone intercedente, tor-

formulam transactionis *vid. p. 317. seqq. Tom. 6. apud LONDORP.* Refert hanc item etiam HENNIGES *ad Instrum. pac. art. 15. §. 13.* sed plane inuerso ordine, quasi LVDOVICVS a testamento religionem mutando recessisset, cum tamen a MAVRITIO hoc contingit, *vid. ZECH. in Europ. Herold. Confil. REGVLI Tom. II. apud LVNIG in confil. OBRECHT ad Instrum. pac. d. l. THOMASIVS in prefat. ad position. ad HVBERI ff.* sic existimat: in genere inter tres religiones imperii nullam quidem ob J. P. W. pro turpi haberi posse, in genere tamen turpe esse, proselytas & neophytas lucri ostensione facere, vel fieri. Vnde non nemo Theologorum recte annotauit, Christum non nisi semel aut bis populum ipsum secutum cibasse, ne potu ciboque assecelas sibi pararet. Nihilominus recte credo respondisse Ordinem Helmstedensem anno 1733. in causa familiae de Mincwitz, fas quondam fuisse capitaneo (*dem Land-Voigt in der Ober-Laßnitz*) fideicommissum inter agnatos suos ita constituere, ut ejus fruitione & possessione exciderent, quotquot e posteris missa religione euangelica pontificiam amplecterentur. Potuit enim vtique testator liberalitati sua inter agnatos, quibus nihil de fideicommisso suo debebat, legem definire, sub qua veller, ut fideicommissaria bibliotheca, & ejus redditibus vrentur, fruerentur. Quidni? Minimum catholici, si modo AVCTORIS *composit. pacis & ejus philosophiae* in hoc argumento, jurisque illius, quo erga
O pro-

protestantes vtitur, & quo vicissim ex merito & ipse vti debet, recordari velint, non habent hic, quod contradicant. Neque vlla exstat imperii lex, quæ jubeat, vt eadem liberalitate, aut bonitate, diuersæ religiones erga diuersas religiones vtantur, quælibet erga suæ religionis confortes vtitur, sed tantum, vt æquali ratione inter se a mali illatione catholici respectu protestantium, & hi illorum respectu abstineant, nec se inuicem lardant. Neque alia philosophia fuit ipsi apostolo, dum omnibus hominibus, præcipua autem ratione fidei sociis benefacere mandat.

XLVIII.

Quando testator collegium aliquod honestum & licitum instituit pro herede, illud potius in abstracto quam in concreto institutum censetur.

COM.

COMMENT.

Quæ hic habentur: quod legatum vniuersitatis non singulis debeatur, confirmantur aliis regulis analogi: 1.) quod cauſsa vniuersitatis non sit cauſsa singularum, 2.) quod delicta vniuersitatis non sint delicta singularum, 3.) quod vniuersitates syndicos suos habeant a procuratoribus singularum separatos, vid. plura apud Dd. ad tit. quid cuiusque Vniuers. &c. & apud collectores locorum communium, verbo: VNIIVERSITAS. Vnde collegio relictum, non collegis singulis in concreto, sed integro collegio in abstracto & v. c. facultati theologicae, aut juridicæ relictum, non singulis Professoribus, verum toti facultati collectiue relictum censetur, vid. RICHT. Dec. 37. n. 15. 16. & interminis, vt loquimur, terminantibus præjudicium, n. 48. ibidem.

XLIX.

De aduentitiis bonis ne eo quidem casu filius familias testari potest, quando plenum eorum habet dominium.

O 2

COM-

COMMENT.

Probatur hæc thesis per *L. pen. Cod. qui testamenta facer.* Nov. 117. cap. 1. §. 1. Estque res hic in foro certissima, quod filius sicut de peculio aduentitio irregulari tantum inter viuos non ultima voluntate disponere queat.

L.

Donatio mortis caussa inter conjuges reciproca, etiam si per mortem vnius sit confirmata, ab altero tamen reuocari potest.

COMMENT.

Donationes inter conjuges non nisi morte donantium inter donantes confirmari, euidens *ex L. 32. §. 2. de donat. inter vir. & vxor.* Ergo viuus superstes sem-

semper suam donationem juste reuocat , licet si
alterius morte parte sibi ab hoc donata potitus æ-
quiis melius agat, ne rigorose suo jure reuocandi
vtatur, sed impleat mortui voluntatem. Plura habet
LAVTERB. in diff. ejusd. argum. & auctores ad ff.
ad Cod. h. t. Nec non Decretalistæ ad eund. tit.

LI.

Præter cauſſas in l. vlt. C. de
reuocand. donationib. expreſſas
aliæ ſimiles vel majores admit-
tuntur.

COMMENT.

Consentit hic cum AVO: WESTENBERG. ad tit. de
donat. argum. L. 12. de legibus, SCHILTER adeund.
tit. Differentiunt CARPZ. & quos citat conſtit. 12.
definit. 31. part. II. Conf. auctores in vtramque
partem apud ESBACH ad CARPZOV. d. l. & dicta
a Dn. PRÆSIDE §. 8. p. 631. in Specim. cum quo etiam
O , fen-

sentit collegium juridicum Argentoratense *ibid.* 21.
ad tit. de donat. nec WESTENBERG, ex dicta L.
12. *de LL.* probare potest, quod in LL. poenalibus
& priuatoriis ad similia progredi liceat. Vnde AVVM interpreter de caussis similibus grauioribus,
quæ cum nominatis ejusdem generis sunt. V. C. di-
citur in tit. C. *de reuocand. donat.* quod do-
natio juste reuocetur, si donatarius in donantem *a-*
troces injurias effuderit; erat donatarius, qui con-
tra donatorem creditores absque caussa conuoca-
rat, concursum excitauerat, donatorem per licto-
res ut prehenderetur, custodiretur, per totam vr-
bem quærendum curauerat, metuque, ut ausus esset
coegerat. Existimauit ordo juridicus hic, speciem
hanc ad l. 10. C. *de reuoc. donat.* vtique pertine-
ne, & sub caussa: injuriæ comprehendi. Cum ha-
molitiones donatarii omnes fruile, & absque caussa
adeoque in ignominiam donatoris factæ essent.

LII.

Emtio annuorum reddituum
est iusta, & vera emtio & ven-
ditio.

COM-

COMMENT.

Quæri potest initio: vnde emtio annuorum redditum sit? Sunt, qui illam sibi in *Nou. 72. c. 6.* reperiisse videntur. Enim uero, quod ibi dicitur de tutore, quod possit pro pupillo **REDITVS** emere, quum vox **REDITVS** per: **FVNDO**s, vnde redditus præstantur, percipiuntur, sat commode a glossa explicetur, originem emtionis annuorum redditum non nisi incerta fide demonstrare potest. Ut proinde ex *Nouella* initium hujus contractus parum solide deriuetur. Imo ex *leg. fin. § 1. D. de contrahend. emtion.* haud obscure patet: redditus ipsi fundo inhærentes adeoque reales apud Romanos emi non sive-uisse, sed tantum præstationes personales, vt ut in formula dictum fuisset, *emtorem annua de FVNDO certo emere.* Sunt quoque, qui emtionem horum reddituum peruetustis Germanorum moribus tribuunt. Nam ita expressa haberi in *Extravagantibus MARTINI V. & CALIXTI III. Extravagant. commun. tit. de emt.* Enim uero magis est, vt hic opinioni communi inhæreamus, emtionem horum reddituum cleri inuentis deberi, vid. *THOMAS. pag. 52. §. 13. de different. pignor. german. &c.* Dupl. citer autem hoc inuento cleris usus est. Nam 1.) ita a se amolitus est leges prohibitiuas usurarum, quas ipse circa mutuum tulerat, sat callido consilio usuris in annuos redditus versis, 2.) emtio annuorum reddituum clero sat commodum medium fuit, suos **CANONICATVS**, suas **PRÆBENDAS**,

PRÆ-

PRÆSTARIAS, & alia beneficia sua, etiam monasteriorum emolumentis non exclusis, mire augere, ut dicere posses: annuorum reddituum emtiones ad potissimas cautelas clericorum beneficia sua ecclesiastica in canonicorum collegiis, monasteriis & vbique augenda, vel locupletanda, origetenus spe-
tare. Luculentum hujus rei testimonium exstat in ipsis binis Extrauagantibus MARTINI V. & CALIX-
TI III. Nam in illis de annuorum reddituum conserua-
tione non laici, sed præcipue clericis solliciti sunt,
excaussa, quam ipsi diserte adlegant, ne alias ipsis ali-
quot PRÆBENDARVM millibus, opimo annuorum
reddituum commercio sublato, carendum sit. Mag-
gis hoc idem commercium dein exornauit Sec. XVI.
PIVS V. papa in bulla: *Cumonu*s 14. Calend. Febr.
1568. Qua simul annuos reditus e quæstu vendito-
rum personali (*Von ihrem Gewerbe vnd Handelbie-
rung*) emtos tanquam incertos, & clero parum pro-
ficiuos, nec constanti & perpetuo præbendarum vsui in-
seruientes rejicit. Cetera, quod hæc emtio redi-
tuum sit vera iusta que emtio, præter AVVM, ip-
sæ reformationes politicae imperii de ann. 1548. 1577.
modo vsuraru[m] quincuncium mensuram non ex-
cedant, tuentur. Consentit pariter elector Palati-
nus LVDOVICVS in der Pfälzischen Landes Ord-
nung, item von *Contracten*, verbis: *Sintemahl
solche Jahr-Gult kein mutuum oder Leiben, son-
dern vielmehr die Art eines Kauffs an sich hat.* Nec
aliter MARTINI, qui cap. 3. n. 137. de censu, diffe-
ren-

rentias mutui & hujus emtionis latius persequitur,
& ad septem objectiones respondet. Eadem docet
Wiestner n. 72. seqq. de vſuris. Traduntur au-
tem differentiæ hujus emtionis a mutuo 1.) quod
in hac emtione fors repeti nequeat a venditore , 2.)
quod hi reditus pereant cum fundo, vnde deben-
tur , 3.) quod de his reditibus in casu moræ vſuræ
exigi queant, 4.) quod crescant vltra alterum tan-
tum. Neque vero hic dici posse, quod alias canones
contra vſurarum perceptionem in mutuo vrgent:
AVRVM ex AVRO generari contra naturam.
Nam in hac emtione non ipsam pecuniam quotan-
nem (die jährlichen Geld-Renthen selbst) sed jus in-
corporale percipiendi hanc pecuniam tantum emi.
Cetera : CONTRACTVM CANONICVM emtio-
nem hanc appellat SCHOPP. jur. feud. p. 329.

LIII.

Ab emtione perfecta ne qui-
dem cum arrharum dispendio
licet recedere,

P

COM-

COMMENT.

Hæc thesis vix habet aduersarium, nec expositione eget. Conferri alias de arrha possunt THOMAS. LAVTERB. qui de hoc argumento dissertationes conscriperunt singulares.

LIV.

Contractus antichreticus differt specie ab emtione cum pacto de retrouendendo.

COMMENT.

De antichresi ex instituto STYPMANN. LAVTERB.
Vol. I. diff. sing. MARTINI, p. 27. seqq. de censu.
Definit STYPMANN §. 6. d. l. quod sit mutuum reciprocum rei scilicet fertilis & v. c. pecuniae. Nam antichresin etiam PER SE subsistere posse, ut contractum SINGVLAREM. Aliis tamen secundum analogiam juris ciuilis antichresis est pactum ACCESSORIVM, seu pactum contractui pignoris adiectum, vide enim Leg. II. §. 1. de pignor. vbi di-

MOD

dicitur, quod *antichresis* retineatur PIGNORIS loco, & leg. 33. de *pignorat. action.* vbi dicitur, *quod antichresis sit pignus, vid. NOODT L. 2. c. 9. de usuris.* An in tacitam & expressam diuidi potest? Negat THOMAS d. diff. Affirmat NOODT. d. l. quod etiam videtur in foro receptum. De jure canonico dices, esse prohibitam antichresin, cap. 1. 2. 4. 8. X. de *usuris*, sed recepit antichreses *vflus* pontificius forensis, BARBOSA ad. d. c. 8. Jure ciuili certe & jure germanico nunquam fuit prohibitus hujus pacti *vflus*. vid. THOMAS. d. l. Dif- fert autem ab emtione eum pacto de retrouenden- do, quod 1.) haec transferat dominium, 2.) quod liberet in genere a redditione rationum, quanticun- que fructus ab emtore percepti sint, 3.) quod in antichresi locus non sit pacto legis Commissoriae, bene autem in emtione cum pacto retrouendendo, in qua pacisci licet, vt re vendita tempore conuen- to non redemta, committatur, & in æternum apud emtorem restet. Quale pactum circa relictio- nem pignoris, vt & haec includatur certo termino, restringaturque ad certos annos, quibus elapsis ces- set, jure ciuili per legem CONSTANTINI M. pro- hibetur.

LV.

Creditor antichreticus ad ra-

P 2

ti-

tiones reddendas de fructibus
perceptis non est obstrictus,
nisi legitimū usurarum modum
nimium excedant.

COMMENT.

De rationum redditione sunt, qui hic distinguunt inter antichresin tacitam & expressam, hoc sensu, vt in illa creditor stricte teneatur ad modum usurarum feruandū, & ad rationes secundum hunc reddendas, *vid. STRYCKII Sect. 2. cap. 4. NOODT autem d. l. distinguuit inter reditus fundi certos & incertos, vt de illis reddenda sit ratio ad modum usurarum: hic autem non æque, nisi reditus incerti sint, ut plurimum certi & notabiliter usuras superent In foro quaestio haec reuera deciditur, vt eadem decidit AVVS, cf. STRYCK d. l. HERT. tom. I. resp. 471. & ante eum RAVCHBAR. I. 20. 38. vt scilicet minima non curet prætor, sed tantum excessum modi usurarum exstantiorem.*

LVI.

LVI.

Licet usuræ non debeantur
ultra alterum tantum, non ta-
men sistitur antichresis, etiam
si redditus inde percepti sortein
æquent.

COMMENT.

Rationes hujus thesis sunt sequentes: 1.) quia anti-
chresis, seu mutuus usus, adeoque & perceptio
redituum fundi fertilis durare debet, quamdiu
debitor pecunia vtitur, ita præcipiente ipsius no-
minis ratione, 2.) quia hic deest in jure nostro
lex, quæ fructuum in antichresi modum ad al-
terum tantum committatur, vel restringat, aut
credитorem post alterum tantum perceptum usu
fundи vltiori arceat, priuet. Atqui modi jure
aut commodo aliquem priuandi extra leges, ad-
mittendi non sunt, 3.) quia in L. II. *de pignor.*
& in L. 33. *de pignoratit. act.* aperte deciditur:
possessionem antichresis durare usque ad solutam

P 3

pe-

pecuniam. Accedit 4.) quod in foro hodie plane in mutuo, usuris ultra alterum tantum quotannis persolutis, nulla ratio alterius tanti, nec *Nouelle 122. c. 2.* habeatur, sed res redierit ad praxim *legis 10. Cod. de usur.* quæ in hac specie alterum tantum insuper habet, cursusque usurarum tantum in illa specie sifit, si ob paupertatem debitoris reliquæ ad alterum tantum excreuerunt.

LXII.

Condictio furtiva datur in solidum contra furis heredes.

COMMENT.

Conditionem contra heredes furis in solidum dari, quatenus hereditas sufficit, plane juris naturæ præceptum est. Nam, qui defuncto succedere vult in commodo, merito etiam eidem succedit in incommodo. Nec excusantur heredes exceptione, quod res perierit. Quia fur & ejus heredes, quamdiu ablatum non restituunt, in continua

tinua mora sunt, quæ periculum in debitorem
transfert, cf. PVFEND. L. III. c. I. in fin. vbi
GROTIO II. c. 17. §. 16. furem re extincta,
non ad id, quanti interim res plurimi valere po-
tuerit, sed tantum ad medium pretium teneri
docent, responder. De jure ciuili vid. L. 7. §.
2. L. 9. de condit. furt. Dissentiunt alias CV-
JACIVS, VACONIVS a VACVNA, aliquie, qui
dd. II. ad speciem, vbi lis cum fure contestata
est, restringunt. Ast horum argumenta confecit
THEODORICVS pag. 139. Colleg. crim. cui jun-
ge FABRVM in rational. ad d. L. 9. Sed quid,
si fur vltimo supplicio adfectus est? Respondetur:
quidam ob paremias: *Mit dem Hals bezahlet
man alles*, vel vt glossa jur. Sax: *Mit dem To-
de wettet man dem Richter, und biffet dem
Kläger*, rati sunt: in hac specie cessare damni
furto dati restitutionem. CARPZOVIVS certe
qu. crim. LXXX. BERGER in elect. crimin. p.
45. distinxerunt inter rem furtiuam extantem &
consumtam hoc sensu, quasi tantum existens re-
stituenda sit fure ad mortem damnato, pretium
vero rei extincta non æque. Sane Carolina
art. 208. 209. vt & Rec. Imp. anno 1559. §. 35.
meminerunt tantum rerum extantium, nec alias
quaestionem nostram ex instituto tractant. In-
terim & in hac specie vltimum supplicium fu-
ris a restitutione heredes ejus plane non libera-
re, docet PVFEND. d. l. cum vtrumque, res-
sci-

scilicet & supplicium e diuersa cauissa, & creditoribus diueris debeatnur. Nec aliter olim ipsi Lipsienses & Wittebergenses, CARPZOVII & BERGERI antecessores, vid. STRVV. pag. 21. *Obseruat. crim. RICHTER decis. 96. n. 114.* qui CARPZOVIQ respondent.

LVIII.

Poena furti, quæ in Constitutione Carolina est constituta, est quidem satis rigida & dura, judicem tamen furem ad poenam strangulationis damnantem & JCtum ita de jure respondentem etiam in foro conscientiæ tutum esse existimo.

COMMENT.

COMMENT.

De rigore pœnæ capitalis furum MATTHÆI, c. III.
p. 85. de crimin. præcipue num. 4. qui furtum sine
vi commissum, nisi egeno omnis substantia ablata,
capitale esse non debere, pluribus de cauſis putat.
Nec aliter fere GROTIUS hinc inde II. t. 14. Vi-
cissim PVFEND. furum etiam *simplicium* suspendia
defendi & MATTHÆO haud difficulter responde-
ri posse contendit L. VIII. c. 13. §. 26. adde GRO-
NOV. ad GROT. d. I. Sane Carolinam modum
pœnarum respectu furum simplicitum non seruasse,
& hos etiam pœnis arbitrariis, carcere diuturniori,
damnatione ad opus publicum, fine suspendio in or-
dinem redigi, & ita tranquillitatem publicam ser-
uari posse, certum & clīm apud diuersas gentes ex-
pertum est. Ast, quid hoc ad judicis conscientiam?
nihil profecto. Judex enim de furum pœna non
quæritur, quid ipse, sed quid lex sentiat, non suo
arbitrio, sed legis auctoritate fures fustibus cædi,
suspendique jubet. Lex quidem dura, & forte ali-
quando iniqua, judex autem æquis, qui legem se-
quendo legislatoriam potestatem non adfæctat
Conf. hac de re pluribus Orat Dn. PRÆSID. inaug de
religion. judicantium Papiniæa. Vbi, ni fallor, ju-
dici secundum legem etiam durissimam pronun-
cianti, omnes scrupuli exempti.

Q.

LIX.

LIX.

Quod crimina & delicta legibus Romanorum certo temporis spatio extinguantur, non caret ratione.

COMMENT.

Ratio præscriptionis accusationum est, vt ne per longas tergiuersationes accusatorum pereant miseris reis media se defendendi. Nam post diuturnum tempus sæpe contigit, testes interea mori, probatum innocentiae hoc modo tolli. Imo nec pœnæ nimis dilatae & retardatae adeo metum incutiunt, aut terrent, quam in flagranti deprehensis mox inflictæ. Accedit, quod scandalum delicto datum tempore tollatur, aut obliuioni tradatur. Quare recte Romani accusationibus modum & terminum, vicennium scilicet, pro regula præscriperunt, vid. MATTHÆI pag. 851.

LX.

LX.

Femina a successione feudi,
in quo alias fuerat successura,
per masculum semel exclusa, in
perpetuum exclusa manet, quæ
sententia in Camera Imperiali
est recepta & multis præjudiciis
confirmata.

COMMENT.

Contentiunt hic cum AVO præcipue feudistæ veteres
ISERNIAS, BALDVVS, ALVAROTTVS, de RA-
VENNA, *vid. H. PISTOR. L. II. qu. 36.* ROSEN-
THAL c. VII. *concl. 47.* Species est: Titio a Cajo
feudum datum hac lege, vt ipse haberet & ejus de-
scendentes masculi & feminæ. Moritur Titius
relictis filio & filia, excluditur filia. Moritur fi-
lius, filia non dicitur admitti ex ratione, quod fe-
mina

Q²

mina semel exclusa semper exclusa. Textus hic pertinentes sunt: I. F. 6. §. 12. II. F. 17. vbi vid. BILT-SCHIVM pro eodem rigore cum AVO pugnantem. Ast recentiores exclusionem feminæ in hac specie ita moderantur, vt femina, licet semel exclusa masculis dein deficientibus denuo admittatur. Ita enim probabiliter in hac specie adlata inuestientem velle, esse autem hanc quæstionem non juris, sed voluntatis. Addunt alii: in ejusmodi formulis inuestiturarum, feminas non tam EXCLVDI, quam DIFFERRI saltem illarum admissionem, vid. THVMMERMVTH. pag. 198. STRYCK Exam. jur. feudal. cap. XV. §. 9. imo pro hac explicatione confer etiam inter se ipsos textus J. F. L. Atque hic meditationum ad theses AVITAS, monumentique pietatis esto:

F I N I S.



VIRO SVMME REVERENDO
ET AMPLISSIMO DOMINO

PHILIPPO LVD. BÖHNERO

S. S. THEOLOGIÆ D. REGIO ET ELECTORALI CONSILIARIO CONSISTORIALI PRIMO, ECCLESIAVRVM DVCATVS LVNEBURGICI SVPERINTENDENTI GENERALI, PROTOECCLESIASTÆ CELLENSI

SALVTEM ET OFFICIA REVERENTER

D. D. D.

JO. PAVLL. KRESS.

Redit jam ad TE, VIR SVMME REVERENDE, filius JOANNES PHILIPPVS, quem JVLIA nostra, jam quidem domi eximiis elegantium litterarum præfidiis instructum, ante aliquot annos a TE missum, LÆTA inter studiosos recepit, instructorem tamen, & longe ampliori doctrinæ adparatu locupletatum TIBI jam post exhibitam AVO pietatem, & editum sub abitu luculentum eruditionis documentum, GRATA remittit. Et cur GRATAM quæso se TIBI obstrictamque non profiteretur JVLIA nostra? cum probe recordetur illius temporis, quo TV quondam præstantissimam & vtilissimam omnishumani studii partem, morum scilicet disciplinam, tanta sermonis venustate, tantaque rerum & argumentorum copia intra illius pomæcia, cum omnium sapientium calaudatione docuisti, quanta vix vllibi ante TE vel ab exercitatisimis hujus artis magistris factum. Meminit porro JVLIA nostra gratissima mente fratriis TVI

Q 3

JV-

JVSTI CHRISTOPHORI BÖHMERI, Viri ingenii
elegantissimi, judicii acerrimi profundissimique, &
memoriæ infinitarum rerum, quodque paucissimis
mortalibus alias contingit, cum exactissimo semel per-
ceptarum discrimine & ordine capacissimæ. Qui elc-
quentiam politissime, & politicæ præcepta eloquentis-
sime, plane sublimioris disciplinæ theologiæ arcana
prudentissime, junctoque copiosissimo ac ornatissimo
dicendi genere, per plura lustra hic publice non tam
more antiquo & trito professus est, quam nouo insig-
niori lumine singula perfusa ex umbra in lucem pro-
duxit, imo ipse illustravit. Idque tanto successu, vt
non solum in ipsius scholis ingens auditorum numerus
ad usum necessarium & quotidianum sat bene proficeret,
verum vt simul inde prodierit amplissima illorum
discipulorum seges, qui magna cum laude inter ipsos
horum studiorum architectos omnium eruditorum suff-
fragio libentissime relati sunt. Arcuit quidem jam
ante hos annos diuina prouidentia nostris complexibus
utrumque BÖHMERVM, cum TV, VIR SVMME
REVERENDE, initio GÖTTINGENSIVM & vicina-
rum parochiarum, dein WVNSTORPIENSIVM, paulo
post CELLENSIVM superintendenturas, vt loquimur,
generales, addito protiecclesiastes officio, tandem Con-
fistorii per omnes regias prouincias latissime patentes
negoria, vt primus consiliariorum curare & mode-
rari jubereris: frater autem, REVERENDISSIMVS
CHRISTOPHORVS, inter ordines prouinciales Duca-
tus Calenbergici PRIMATVM obtineret, & quod
omnium dignitatum ecclesiasticarum protestantium
apex est, liberi & imperialis Cœnobii LVCCENSIS


AB-

ABBAS constitueretur. Enim uero hic JVLIAE no-
stræ haud accidit ille tristis euentus, quem saepius aliæ
academiæ, translati suis ad aliud viræ genus & res
publicas gerendas professoribus, expertæ sunt, quod
scilicet, si non pristini sui ordinis plane persecutores,
certe contemtores adeo facti fuerint, ut nec pristino-
rum collegarum absque tædio, minimum non sine
supercilio, quasi in alium aerem mundumque trans-
missi, recordari consueuerint. Nam iter BÖHMER-
RVM nostrorum ad honores & gloriam majorem IPSIS
neutiquam secessus fuit ab antiquo JVLIAE suæ amore.
Potius imitata est ipsorum innoxia & honestissima am-
bitio benignissimam naturam indolemque communis
illius omnia terrestria reficientis matris: SOLIS. Vt
enim hic, quo altius a nobis adscendit & tropico æsti-
uo propior sit, eo largius & efficacius calore suo pro-
mouet herbarum, fruticum arborumque in tellure no-
stra incrementum: ita & BÖHMERI nostri, quo plus
IPSIIS dignitatis & eminentiæ post abitum a JVLIA ac-
cessit, eo magis accensum est illorum academiæ no-
stræ bene cupiendi & optime faciendi desiderium. In-
tercessit pro academicis necessitatibus apud purpara-
tos, pro ea, qua maxima valebat, existimatione, constan-
tissime REVERENDISSIMVS ABBAS, imo & post
fata templum academicum insigni honorauit legato,
vt memoria VIRI non possit non semper nobis sancta
ac venerabilis esse. Nec aliud TE, VIR SVMME
REVERENDE, experti sumus, vbi cunque circumspi-
cimus, TVÆ benevolentiae vestigia deprehendimus,
colimus, veneramur. Commendare soles desideria no-
stra aulæ regiæ proceribus, frequenter illa plane IPSE
ad-

adjuvas. Luculentum TVI favioris documentum palam nobis dedisti, TVORVM, paternis gentiliisque & suis virtutibus ornatissimorum, filiorum ad nostras scholas missione, quorum alter, JVSTVS FRIDERICVS, jam per aliquot annos Cancellariæ SECRETARIATVS munere egregie defunctus, studia sua REGI exacte probavit: alter autem, JOANNES PHILIPPVS, jam disputatione cum adplausu habita, migrans a musis nostris, eadem breui, ut certissima spes est, non minori solertia probaturus est. Quod supereft, VIR SVMME REVERENDE, votum est, quod JVLIA nostra & ego TIBI nuncupamus: seruet TE Deus ecclesiæ, cuius commoda & salutem quæris, juuas, tueris; seruet TE HAGIO SYNEDRIO regio, cuius negotiis sapientia consulis, ades, adiutis. Seruet TE familiæ TVÆ DECVS & TVTAMEN. Continues quæso nobis toties cum tam insigni fructu expertam demonstramque benevolentiam TVAM. Viue diutissime, me, viue felicissime.

Scribebam in acad. Julia,
Anno MDCCXXXIV, die
5. Nouembris.

- 48 (o) 80 -



Helmsdal, Diss., 1734



D



Q. D. B. V.

COMMENTATIO JVRIDICA

IN
VENERANDI AVI SVI

BERNHARDI BÖHMERI

JCTI, SERENISS. PRINCIPVM, DN. CHRISTIANI LVDO-
VICI ET DN. JOHANNIS FRIDERICI, DVCVM BRVNSV. ET LV-
NEBVRG. SIBI INVICEM IN REGIMINE SVCCEDENTIVM GL. M.
QVONDAM INTIMI STATVS AC CONSILII SANCTORIS
SECRETARIU ET PRÆLATI, ATQVE ADMINISTRA-
TORIS ABBATIÆ ILFELDENSISS,

LX. THESES MISCELLANEAS

EX VTROQVE JVRE COLLECTAS ET ANNO 1659.
MORE T. T. VSITATO, PRO IMPETRANDIS IN VTROQVE JV-
RE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS,
RINTELII VENTILATAS,

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA

PRÆSIDE

D. JOHANNE PAVLLO KRESSIO

JCTO, CONSILIARIO REGIO AVLICO, FACVLT.
JVRID. ORDINARIO

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

DIE V. NOV. CCCCCXXXIV.

EX PATRE NEPOS

JOHANNES PHILIPPVS BÖHMER
HANNOVERANVS.

HELMSTADII

TYPIS BUCHHOLTZIANIS.